BL
25
R37
Bd.4
Heft 3

UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00296390 8



Presented to the
LIBRARY *of the*
UNIVERSITY OF TORONTO
by
Addiction Research
Foundation Library

Religionsgeschichtliche
Versuche und Vorarbeiten

herausgegeben
von
Albrecht Dieterich in Heidelberg und Richard Wünsch in Königsberg i. Pr.

IV. Band 3. Heft

De iuris sacri interpretibus Atticis

scripsit

Philippus Ehrmann

Gießen 1908
Verlag von Alfred Töpelmann (vormals J. Ricker)
Für Amerika: G. E. STECHERT & Co., 129—133 West 20th St., NEW YORK

Titel und Inhaltsverzeichnis zum IV. Bande sind hier vorgeheftet

I. Band

ATTIS. Seine Mythen und sein Kult

von



II. Ban
1. Hef

II. Ban
2. Hef

II. Ba
3. Hef

scripsit

1904. 66 S. **Ludovicus Fahz** ℳ 1.60

Des Verfassers Absicht ist es, die Poesie der Römer, soweit sie Zauberhandlungen schildert, durch die entsprechenden Stellen der griechischen Zauberpapyri zu erläutern. Da eine Behandlung aller hierher gehörigen Stellen den Rahmen einer Dissertation sprengen würde, hat er sich zeitlich auf die Dichter des ersten Jahrhunderts vor und des ersten Jahrhunderts nach Christo beschränkt, stofflich auf die Totenbeschwörung und den Liebeszauber. So behandelt Kap. I der Arbeit die *Necromantea*, Cap. II die *Ars amatoria magica*; Cap. III gibt nach einigen Bemerkungen über die Arbeitsweise der römischen Dichter in der Schilderung von Zauberscenen einen Kommentar zu der großen Totenbeschwörung in Lucans sechstem Buche der Pharsalia. Dabei wird der Nachweis versucht, daß Lucan eine den erhaltenen Zauberpapyri ganz ähnliche Textquelle benutzt hat.

Fortsetzung auf der 3. Umschlagseite

ALBRECHT DIETERICH

ist am 6. Mai 1908, zweiundvierzigjährig, in der Vollkraft seines Schaffens der Wissenschaft jäh entrissen worden.

Aus der Bonner Philologenschule hervorgegangen, deren glanzvolles Doppelgestirn mit Franz Bücheler wenige Tage vor seinem eignen allzu frühen Ende erlosch, hat Albrecht Dieterich unter dem Einflusse seines Lehrers Hermann Usener seine Arbeit nahezu ausschließlich dem religionsgeschichtlichen Gebiete zugewandt und auch in seinen Schülern die Liebe zu den von ihm selbst mit voller Hingabe gepflegten Studien zu wecken gewußt. Im Jahre 1903 hat er dann mit seinem Freunde Richard Wünsch noch während ihrer gemeinsamen Gießener Lehrtätigkeit in den Religionsgeschichtlichen Versuchen und Vorarbeiten das Organ geschaffen, das die unter ihrer Leitung entstandenen wertvollen Arbeiten jüngerer Mitforscher zu sammeln hätte.

Wie Albrecht Dieterich in Vielem den ersten vier Bänden den Stempel seines Geistes aufgedrückt hat, so werden auch der fünfte und sechste Band, die sich bereits im Druck befinden, noch je eine Arbeit zweier Heidelberger Schüler von ihm bringen: Friedrich Pfisters, der über den Reliquienkult im Altertum handeln, und Eugen Fehrles, der die kultische Keuschheit im Altertum zum Gegenstand seiner Darstellung machen wird.

Vom siebenten Band ab wird sich Richard Wünsch mit Ludwig Deubner in die Herausgeberschaft teilen. — Möchten sich in Zukunft auch Fernerstehende noch in größerer Anzahl wenden an die RGVV, als dies bisher schon geschehen ist. Alle aber, die darin etwas zu sagen haben, seien des eingedenk, daß die Manen Albrecht Dieterichs über diesen Blättern walten!

Alfred Töpelmann

Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten

herausgegeben

von

Albrecht Dieterich und **Richard Wünsch**
in Heidelberg in Königsberg i. Pr.

Vierter Band
1907—1908

Gießen 1908
Verlag von Alfred Töpelmann (vormals J. Ricker)

BL
25
R37
Bd. 4
Heft 3



Inhaltsverzeichnis des vierten Bandes

Seite

Schmidt, Harry: Veteres philosophi quomodo iudicaverint de precibus . . . . . 1— 74

Abt, Adam: Die Apologie des Apuleius von Madaura und die antike Zauberei. Beiträge zur Erläuterung der Schrift de magia . . . . . 75—345

Ehrmann, Philipp: De iuris sacri interpretibus Atticis . . . 346—408

De iuris sacri interpretibus Atticis

scripsit

Philippus Ehrmann

GISSAE
IMPENSIS ALFREDI TOEPELMANNI
MCMVIII

RELIGIONSGESCHICHTLICHE VERSUCHE UND VORARBEITEN

herausgegeben
von

Albrecht Dieterich und Richard Wünsch
in Heidelberg in Königsberg i. Pr.

IV. Band 3. Heft



Tarde demum viri docti operam dederunt, ut diligentius inquirerent, quid essent iuris sacri interpretes Attici, quomodo essent constituti et quae eorum esset provincia. Neque hoc mirum; nam tempore quo reviviscebat Graecarum et Romanarum antiquitatum studium, haec quaestio parum in conspectu erat et interpretum munus nimis ignotum quam quod statim virorum doctorum animos in se converteret. Veteres enim scriptores ipsi perraro interpretes illos commemorant, necdum tituli praesto fuerunt, qui certiores nos hac de re facerent. Itaque praeter brevissimas aliorum[1] adnotationes primus, quantum video, propius ad quaestionem accessit C. O. Mueller, qui in commentario ad Aeschyli Eumenidas scripto[2] Apollinis mentione commotus, qui in fabula illa exegetae munere fungitur, pauca hac de re disseruit, quae incerta esse et saepe a vero aberrare propter materiae exiguitatem nemo mirabitur. Etiam minus Chr. Petersen mihi videtur laudandus esse, qui Otfridum Mueller secutus nec pluribus testimoniis usus fusius quam oportebat hanc rem tractavit[3].

Sed novi reclusi sunt fontes, ex quo tempore Attica terra plurimos nobis in lucem reddidit titulos et adhuc reddit. Neque enim pauci ex illis etiam nostrae quaestioni usui fuerunt. Quos

[1] Quos enumeratos videas apud Christianum Petersen, Philol. suppl. I (1860) 155.

[2] *Aeschylus' Eumeniden, griech. u. deutsch, m. erläut. Abh.*, Göttingen 1833, p. 162.

[3] Philol. suppl. I (1860) 153—212: *Ursprung und Auslegung des hl. Rechts bei den Griechen oder die Exegeten, ihre geschriebenen Satzungen und mündlichen Überlieferungen.*

ut diligenter hac de re perscrutarentur, maxime operam dederunt Rudolfus Schoell[1] et Johannes Toepffer[2]. Sed hae sunt adnotationes per occasionem factae. Summatim rem tractavit J. Toepffer in libro qui inscribitur *Attische Genealogie*[3], et Salomo Reinach[4]. Qui novissimi de hac re scripserunt, P. Foucart[5] et G. Colin[6] eodem modo progressi sunt, ut e titulis recte interpretandis interpretum Atticorum munus nobis ante oculos restituerent[7].

Sed hi omnes scriptorum testimonia paene obliti altera tantum fontium parte nisi sunt in illa quaestione absolvenda. Intellegi quidem facile potest, quomodo prae certissimis titulorum testimoniis ceteri testes neglecti sint. At hoc modo quaestio ad finem perducta non est. Quae cum ita sint, forsitan operae pretium sit rem denuo tractare utramque disputandi rationem coniungendo.

Materia mihi sic instituenda esse videbatur, ut omnes iuris sacri interpretes Atticos ad gentes quasdam pertinere primum explanarem, deinde accuratius dissererem, quomodo interpretes singuli essent constituti et quae eorum essent officia. Tum accedendum erat ad ceteros interpretes et quaerendum, quo cognationis vinculo cum iuris sacri interpretibus cohaererent.

Sed ut melius materies circumspici possit neve opusculum ipsum dirimatur, optimum mihi videtur primo loco titulos omnes, qui huc spectant quique certum interpretum genus exhibent, colligere et quid de eorum aetate dici possit vel ad prosopographiam pertineat, breviter adnotare.

---

[1] Herm. XXII (1887) 562 sqq. [2] Ibid. 479 sqq.

[3] Berol. 1889, p. 69 sqq.

[4] Daremberg-Saglio *Dictionnaire des antiquités* s. v. *Exégètes*.

[5] *Mémoires de l'académie des inscriptions et belles lettres* XXXVII (1900), *les grands mystères d'Eleusis* p. 79 sqq.

[6] *Le culte d'Apollon Pythien à Athènes*, Paris 1905, p. 37—39. Iterum ed. in *Bull. de Corr. Hell.* XXX (1906) 161 sqq.

[7] Hic denique afferendus est O. Kern (Pauly-Wissowa *Realenc.* VI 1583), qui priorum hac de re sententias breviter comprehendit; quod G. Colin novi protulit, non novit.

Titulorum collectio

I. Eupatridarum interpretes inveniuntur his in titulis:

Primum afferam titulos, in quibus duo Eupatridarum interpretes una apparent.

1) Colin l. s. tit. 13 a (p. 35) enumerantur ii, qui *τὴν Πυθαΐδα* Delphos duxerunt, inter quos in praescripto commemorantur: *Ἐπὶ . . . ἐξηγητοῦ . . πυθ[ο]χρήστου Φαίδρου τοῦ Ἀττάλου, καὶ τοῦ ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένου ἐξηγητοῦ Καλλίου τοῦ Ἄβρωνος.*

Qui idem recurrunt in altera tituli parte.

2) Eodem modo apud G. Colin l. s. tit. 21 (p. 35) afferuntur:

[ἐ]ξηγητὴς πυθόχρηστος·
[Φ]αῖδρος Ἀττάλου
[ἐ]ξηγητὴς ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένος·
[Κ]αλλίας Εὐκτήμονος.

Utriusque tituli aetas inde definitur, quod Agathocles et Argeus archontes nominantur, quorum alterum circa a. 106 a. Chr., alterum circa a. 97 a. Chr. hoc munere functum esse Colin (l. s. p. 29) contendit, Pomtowium [1] et Kirchnerum [2] secutus.

Callias Habronis filius et Callias Euctemonis filius, quorum uterque *ἐξηγητὴς ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένος* est, ad eandem familiam pertinent, cuius et alios novimus interpretes fuisse [3]. Familiam hanc ad Eupatridarum gentem referendam esse alio titulo probatur [4], ubi inter pythaistas *ἐξ Εὐπατριδῶν* enume-

[1] Pauly-Wissowa *Realenc.* s. v. *Δελφοί.*

[2] Prosop. Att. append. p. 648.

[3] De quibus v. infra tit. 5.

[4] v. G. Colin l. s. tit. 13 b. Eodem de titulo iam antea verba fecit atque quanti momenti esset recte cognovit Nikitsky, Herm. XXVIII (1893) 625 sqq.

rantur: *Ἄβρων Καλλίου, Καλλίας Εὐκτήμονος* eqs. Stemma totius familiae v. apud J. Kirchner (Prosop. Att. I p. 2). Horum interpretum ex Eupatridarum gente originem tam perspicue demonstrari posse summi in nostra quaestione momenti erit.

3) Colin l. s. tit. 57—61 (p. 148 sqq.): inter duces eius ad Delphicum Apollinem legationis, quae *δωδεκής* vocatur, ubique occurrunt: *ἐξηγητὴς ὁ πυθόχρηστος ἐξ Εὐπατριδῶν* et *ἐξηγητὴς ἐξ Εὐπατριδῶν ὁ ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένος.*

Tit. 57: *ἐξηγητὴς ὁ πυθόχρηστος ἐξ Εὐπατριδῶν Πολύκριτος Πολυχάρμου Ἀζηνιεύς, ἐξηγητὴς ἐξ Εὐπατριδῶν ὁ ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένος Διότιμος Διοδώρου Ἀλαιεύς.*

Tit. 58—61: Iidem recurrunt [1].

Colin (l. s. p. 158) secundum J. Kirchner (l. s.) ex archontum nominibus hos titulos annis 26 sqq. a. Chr. attribuit.

Πυθόχρηστοι soli reperiuntur his in titulis:

4) IG I 8 (v. R. Schoell, Herm. VI (1871) 31 sqq.). Hoc in titulo valde mutilato ii enumerantur, qui cibo in prytaneo donati sunt perpetuo. Ibi hoc quoque legitur vs. 8—11:

[Καὶ ἐξηγητὰς οὓς ἂ]ν ὁ [Ἀ]πόλλων ἀνεῖλ[ε (sive: *ἀνέλ[η]*) *ἑ[ξ]ηγουμέ[νους τὰ πάτρια λαβεῖν πάντα]ς σίτησιν· καὶ τὸ λο[ι]πὸν ὃ[ς] ἂν [γένηται τὴν σίτησιν εἶναι] αὐτοῖσι κατὰ ταὐτά.*

Ita R. Schoell titulum supplevit; num recte suppleverit, infra quaeretur [2]. Adnotatur in Corpore inscriptionum e vetustioribus esse hoc decretum, at multis post factum decretum annis hoc exemplum lapidi fuisse incisum. R. Schoell (l. s.) id anno fere 430 a. Chr. adscribit.

5) Colin l. s. tit. 9 p. 72. Est epheborum catalogus. Cuius in praescripto legitur:

Ἐξηγητοῦ ὄντος πυθοχρήστου Ὀφέλου τοῦ Ἄβρωνος Βατῆθεν.

Illum Atheniensium archonte Dionysio *μετὰ Λυκίσκον* hanc epheborum pompam comitatum esse titulus ipse dicit. Circa a. 128 a. Chr. secundum G. Colin (p. 30) ille archon fuit.

Ophelas ille Habronis filius eiusdem familiae est, cuius supra iam duo interpretes cognovimus [3]. Quam ob rem hic

[1] Tit. 60: *Πολύκριτος Πολυχάρμου* est appellatus *Ἀτ[η]νεύς*, quod mendum esse cum G. Colin p. 152 adn. 1 crediderim.

[2] v. p. 21. [3] v. tit. 2.

quoque ex Eupatridarum gente est. *Βατῆθεν* demoticum in mentem revocat Stephani Byzantii glossam, qui s. v. *Βάτη* dicit: *Ἄβρων ὁ Καλλίου, ἐξηγητὴς περὶ ἑορτῶν καὶ θυσιῶν γεγραφώς.*

6) IG III 1, 241:

Πυθοχρήστου ἐξηγητοῦ.

Est theatri Bacchici titulus. Septimii Severi filiorumque vel posteriore aetate recentissimas ex sellarum marmorearum inscriptionibus incisas esse Dittenberger ibi adnotat.

Nostrum titulum ut alios quoque in antiquorum erasorum locum substitutum esse dicunt qui inspexerunt. Hoc factum esse potest ea de causa, quod priores tituli aliorum fuerint magistratuum[1]. Sed inde concludere magistratus hos novos tum constitutos esse, audacius videtur. Hoc solum statuendum est titulum nostrum non nisi tamquam imperatorum temporum testimonium afferri posse, unde, nisi alia accedunt, in priora tempora coniecturam facere non licet.

7) IG III 1, 684:

Αἰλίου Ζήνωνος τοῦ πυθοχρήστου
υἱὸν (?) Γαΐου Πλατ[ω]νικοῦ . .

Nomen Aelii Zenonis titulum esse Romanae aetatis atque Hadriano recentiorem indicat. Dittenberger (l. s.) tempus accuratius definiens haec dicit: „Aut alius aut idem Aelius Zeno Berenicides ephebus recensetur Septimio Severo imperatore, archonte C. Quinto Himerto, cosmeta Tryphone Theophili f. Hybada". Praeterea IG III 1, 687 habemus P. Aelium Zenonem Berenicidem, qui est *ἱερεὺς πατρῴου Ἀπόλλωνος*, quem huic proximum esse verisimile est.

8) Idem fortasse invenitur in titulo Delphico, quo civitate donatur, G. Colin l. s. tit. 64 p. 159:

[Δ]ελφοὶ τὸν πυθόχρηστον ἐξηγητὴν Αἴλιον Ζήνωνα τὸν Ἀθηναῖον πολίτην αὐτῶν καὶ βουλευτὴν ἐποιήσαντο.

9) Filius huius Aelii Zenonis reperitur *Ἐφ. ἀρχ.* 1883 p. 143 n. 17:

Π[όπλιος] Αἴλ[ιος] Τειμοσθένης Βερενικίδης Αἰλ[ίου] Ζήνωνος τοῦ πυθοχρήστου ἐξηγητοῦ υἱὸς μυηθεὶς ἀφ' ἑστίας.

[1] Itaque Gu. Vischer quoque dicit (*Kl. Schriften* II 368): *die Sitze haben offenbar nicht immer denselben Beamten gehört.*

10) Denique Berenicidem qui et ipse *πυθόχρηστος* fuit, habemus, *Ἐφ. ἀρχ.* 1899 p. 210, 40:

Ὁ δῆμος Λυσιάδην [Φ]αίδρου Βερενικίδην ἐξηγητὴν [π]υθόχρηστον γενόμενον Δήμητρι καὶ Κόρῃ.

Phaedrus quidam Lysiadis f. Berenicides recurrit IG III 1, 797, 799, 800, qui sunt tituli Romanae aetatis, unde hic quoque eodem tempore videtur incisus esse.

11) *Ἐφ. ἀρχ.* 1899 p. 211, 41:

[Σω](φρ)οσυνη-
νείκην Λό(λ-)
ο]υ ἔκγονο[ν]
πυθοχρήστ[ου]
ἐξηγητοῦ θυγατέ]ρα, Ἐρεν[ν]ίο[υ]
γυναῖκα
τοῦ δεῖνος μ]ητέρα.

Nomen proprium hunc quoque titulum aetatis esse Romanae indicat.

12) Postremo afferenda sunt duo titulorum fragmenta, de quibus, cum incertissima sint, accuratius quidquam dici non potest.

Ἐφ. ἀρχ. 1899 p. 211, 42: *[ὁ δεῖνα ἐξ]ηγητ[ὴς]*
[τοῖν θε]οῖν.

et ibid. p. 211, 46 a: *-α καὶ*
[ἱ]ερέως
(ἐ)ξηγ[ητ-

A populo constituti qui sunt Eupatridarum interpretes reperiuntur his in titulis:

13) IG III 1, 267:

Ἐξηγητοῦ ἐξ Εὐπατριδῶν χειροτονητοῦ ὑπὸ τοῦ δήμου διὰ βίου.

Est alius theatri Bacchici titulus, de cuius tempore idem statuendum est quod de priore theatri titulo (n. 6). Hic titulus num in locum antiquorum erasorum substitutus sit, amambiguum est (v. C. Dittenberger in praefatione ad hos theatri titulos conscripta l. s.).

14) IG III 2, 1335. Est titulus sepulcralis:

Πό|πλιος Αἴ|λιος Φαῖδρος Σουνιεὺς υἱὸς τοῦ ἐξ Εὐπατριδῶν ἐξηγητοῦ καὶ ἱερονείκου καὶ ξυστάρχου Αἰλίου Θεοφίλου τοῦ Π|ισιο|τέλους Σουνιέως καὶ Κεκροπίας τῆς Ἀθηνιῶνος Φαληρέως τοῦ διὰ βίου περιηγητοῦ θυγατρός.

Nomina Romanam post Hadrianum aetatem indicant. Accuratius aetas definiri nequit.

Ad Eupatridarum interpretum genus etiam ii exegetae pertinent, qui cognomine non distincti reperiuntur:

15) *Ἐφ. ἀρχ.* 1884 p. 167 in titulo in arce invento (v. infra p. 27), et

16) IG II suppl. p. 61 n. 198c (Dittenberger SIG[2] 136; L. Ziehen, Leges Gr. sacrae n. 32). V. infra p. 28.

II. Eumolpidarum interpretes inveniuntur his in titulis:

1) IG II 2, 834b (v. etiam C. Dittenberger SIG[2] 587). Sunt rationes curatorum et quaestorum fani Eleusinii anni 329/8 a. Chr. Ibi col. I lin. 41 haec leguntur:

ἐξηγηταῖς Εὐμολπιδῶν εἰς [ζ]*εύγη μυστηρίοις ΔΔΗΗ*[Η].

2) IG III 720 (iterum atque melius ed. *Ἐφ. ἀρχ.* 1887, 110):

Ἀπολλώ[*ν*]*ιον Ἀγήνορο*[*ς Ἀχαρνέα τὸν*] *ἐξηγητὴν ἐξ Εὐμολπιδῶν . . . ἡ γυνὴ Ἀπολλωνία* [. . . *θυγάτηρ*] *καὶ ὁ υἱὸς Ἀγήνωρ ἀ*[*ρετῆς ἕνεκα καὶ εὐ*]*ε*[*ργ*]*ε*[*σία*]*ς Δήμητρι καὶ Κόρῃ ἀνέθηκαν.*

Toepffer (*Att. Gen.* p. 73) dicit litterarum formam talem esse, ut titulus primo a. Chr. saeculo ineunti tribuendus sit. Atque revera Apollonius quidam Agenoris filius[1] recurrit in pythaistarum catalogo[2], et eundem Apollonium nos hic habere propter temporis congruentiam veri est simillimum. Fortasse hic Apollonius idem est atque *Ἀπολλώνιος Ἀχαρνεὺς συγγραφεύς*[3], quem librum *περὶ ἑορτῶν* scripsisse scimus (fr. ed. Mueller FHG IV p. 312). Utrumque eundem esse putat Kirchner (l. s.), neque iniuria; nam interpretes talia scripsisse saepius inveniemus.

3) *Ἐφ. ἀρχ.* 1887, p. 111 (32). Est honorum titulus:

Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος Μήδειον Μηδείου Πειραιέα τὸν ἐξηγητὴν

---

[1] Kirchner, Prosop. Att. 1523 et Pauly-Wissowa *Realenc.* s. v. Apollonius n. 72.

[2] Catalogum ed. Nikitsky, Herm. XXVIII (1893) 625; Colin l. s. p. 44 Agathocle archonte (ca. a. 106 a. Chr.) titulum incisum esse contendit.

[3] Kirchner l. s. 1522.

ἐκ τοῦ γένους τοῦ Εὐμολπιδῶν εὐσεβείας ἕνεκα τῆς πρὸς τὼ Θεὼ καὶ ἐπιμελείας καὶ φιλοτιμίας τῆς περὶ τὴν ἐξήγησιν τῶν ἱερῶν καὶ πατρίων, Δήμητρι καὶ Κόρῃ ἀνέθηκαν. Ἐπὶ ἱερείας Κλεοκρατείας τῆς Οἰνοφίλου Ἀφιδναίου θυγατρός.

P. Foucart (*les grands mystères d'Eleusis* p. 82) titulum initio primi a. Chr. saeculi tribuit atque Medeum nostrum eundem esse arbitratur atque alterum Medeum commemoratum apud [Plut.] vit. decem or. p. 843 B: *Ταύτης δὲ καὶ Λυσάνδρου Μήδειος, ὃ καὶ ἐξηγητὴς ἐξ Εὐμολπιδῶν γενόμενος· τούτου δὲ καὶ Τιμοθέας τῆς Γλαύκου παῖδες Λαοδάμεια καὶ Μήδειος, ὃς τὴν ἱεροσύνην Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως εἶχε, καὶ Φιλίππη ἥτις ἱεράσατο τῆς Ἀθηνᾶς ὕστερον.* Medeus, qui apud Plutarchum primo loco affertur, cum nostro non convenit, cum sit Lysandri, noster vero Medei filius. Sed ne de altero quidem, ut Foucart vult, cogitari potest, cum apud Plutarchum tantum sit sacerdos Neptuni, non interpres. Neque cum P. Foucart hoc mendum vel omissionem scriptoris esse statuemus, si quod praeterea hac de gente traditur, a vero non abhorrere cognoverimus [1] atque si plures notos esse Medeos meminerimus [2]. Recte mihi Toepffer (l. s. p. 76) et Kirchner (l. s. 10100) iudicare videntur, qui nostrum Medeum paulo posteriorem Plutarchi Medeis sumunt. Quod confirmatur et litterarum forma lapidis, *der bereits die deutlichen Indicien der Kaiserzeit an sich trägt*, et tempore in titulo ipso indicato *ἐπὶ ἱερείας Κλεοκρατείας*: nam hanc sacerdotem initio aetatis imperatoriae vixisse probabile est; IG III 232 in imperatoriae aetatis titulo eius nomen commemoratur.

4) Afferendum nunc est fragmentum, quod si recte est suppletum, imperatoriae aetatis interpretem exhibet. *Ἐφ. ἀρχ.* 1899 p. 211, 43:

-ου Καίσ[αρος]
Καίσαρος σ[εβαστοῦ]
[ἐξηγ]ητὴν ἐξ Ε(ὐ)[μολπιδῶν]
Μα](ραθ)[ωνιο-

5) *Ἐφ. ἀρχ.* 1897 p. 57, 34:

Δ. Ἰούνιον Μεννέαν τὸν ἔκγονον τοῦ ἐξηγητοῦ Πάτρωνος ὁ

[1] Optime enim confirmatur Deli insulae titulis, v. J. Toepffer *Att. Gen.* p. 74. [2] v. stemma apud J. Kirchner l. s. II p. 82.

πατὴρ Δ. Ἰούνιος Πάτρων καὶ ἡ μήτηρ Ἀννία Ἀριστόκλεια Ἀννίου Θρα(σ)ύλλου Χολλείδου θυγάτηρ μνηθέντα ἀφ' ἑστίας ταῖν θεαῖν.

Etiamsi interpres hic accuratiore nomine caret, tamen in numero Eumolpidarum interpretum habendus esse videtur, cum alio in titulo (*Bull. de Corr. Hell.* XIX (1895) 130)[1] eiusdem familiae appareat D. Iunius quidam, qui *ἱεροφάντου* munere fungitur, quod eum Eumolpidam esse probat. Nomina Romanam aetatem indicant[2].

Denique alius titulus afferendus est, in quo si non Eumolpidarum interpretes ipsi, at ius interpretandi huic genti concessum commemoratur.

6) IG I suppl. 27b p. 59 (Dittenberger SIG[2] 20; L. Ziehen, Leges Gr. sacrae, Lips. 1906, Att. 4). Ibi legitur lin. 36:

Θύεν δὲ ἀπὸ μὲν τῶ πελανῶ καθότι ἂν Εὐμολπίδαι [ἐχσηε/γῶ]νται.

Ita verbum reddit L. Ziehen l. s.; A. Kirchhoff in Corpore inscriptionum et A. Mommsen (*Feste der Stadt Athen* Lips. 1898 p. 268 adn. 2) scribunt: *[ἐχσεγῶ]νται*, at e lapide non sex, sed septem litteras evanuisse concedunt. Foucart autem aliud verbum restituit: *ἐ[ση]γή[σω]νται* (*Bull. de Corr. Hell.* IV (1880) 239), quod si locum haberet, sententiam paulum mutaret. Sed si simillima aliorum locorum verba comparaverimus[3], dubium non erit, quin *ἐξηγῶνται* scribendum sit.

Hoc decreto Atheniensium civitas non solum socios, sed omnes Graecos adhortatur, ut deabus Eleusiniis frumenti primitias offerant. De aetate huius tituli viri docti inter se dissentiunt, nisi quod scriptura et litterarum formis titulum antiquiorem esse anno 403 et posteriorem anno 446 probatur. Cum omnes olim titulum paulo ante bellum Peloponnesiacum incisum esse arbitrarentur, primus A. Koerte post bellum Archidamicum decretum hoc esse contendit atque accuratius

---

[1] *Ἱεροφάντην Δ(έκμον) Ἰο . . . . . [Πειραιέα . .] κτλ.*

[2] Menneas quidam recurrit IG III 911: *Νεικοστράτην Μεννέο[υ Β]ερενικίδου θυγατέρα κτλ.*

[3] [Lys.] VI 10: *καθ' οὓς* (scil. *νόμους*) *Εὐμολπίδαι ἐξηγοῦνται*, et in titulo Milesiaco (C. Dittenberger SIG[2] 660): *καθότι Σκιρίδαι ἐξηγούμενοι εἰσφέρουσιν* (scil. *εἰς τὸν δῆμον*).

anno 418 titulum attribuit[1]. Cui sententiae oblocutus est I. H. Lipsius[2], cui novissimus editor L. Ziehen assentitur[3]. Hic rursus novam tituli statuit aetatem (l. s.); anno enim 423 Athenienses haec sanxisse persuasum ei est. Titulum ante bellum Peloponnesiacum poni non posse eiusdem decreti altero exemplo in arce collocato confirmatur[4], cuius scripturam posteriorem aetatem indicare Ad. Wilhelm, unus peritissimus lapidum Atticorum dicit (l. s. p. 15). Tum autem melius placet pace facta hanc legem rogatam esse, quae Alfredi Koerte est sententia, quam intra breve indutiarum a. 423 spatium. Sed utut res se habet, in nostra quaestione satis est scire belli Peloponnesiaci temporibus decretum hoc esse.

III. Cerycum interpretes, etsi non distincte ita nominantur, inveniuntur his in titulis:

1) *Bull. de Corr. Hell.* VI (1882) 436 (= *Ἐφ. ἀρχ.* 1897 p. 63 sqq.). Ibi legitur lin. 21 sqq.:

θυγατέρα Φ[ιλίπ-]
πης Κλ. Δημοστράτου Ἀθηναίου, ἄρξαντος ἐν τ[ῇ πατρίδι]
τὴν ἐπώνυμον ἀρχήν, στρατηγήσαντος ἐπ[ὶ τὰ ὅπλα,]
γυμνασιαρχήσαντος, κηρυκεύσαντος τῆς [ἐξ Ἀρείου]
πάγου βουλῆς, ἀγωνοθετήσαντος Παν[αθηναίων]
καὶ Ἐλευσεινίων, ἐξηγητοῦ μυστηρί[ων, ἱερέως]
Ἐρεχθέως Ποσειδῶν[ος]

Foucart (*Bull. de Corr. Hell.* l. s.) titulum saeculi p. Chr. secundi esse iudicat.

Claudius Demostratus, qui hic *ἐξηγητὴς μυστηρίων* vocatur, Melitensis est atque ad eam familiam pertinet, cuius et alii viri in titulis reperiuntur[5]. Cuius familiae nonnulli daduchi fuerunt[6], qua ex re familiam hanc ad Cerycum gentem pertinere cognoscimus; nam sola haec gens ius habuit hoc munere fungendi.

---

[1] *Mitteil. des arch. Inst. Athen* XXI (1896) 320 sqq.

[2] v. Schoemann-Lipsium *Griech. Alt.* II[4] p. 389 adn. 2.

[3] Leges Gr. sacrae p. 21.

[4] Fragmentum ed. Ad. Wilhelm, *Jahreshefte des österr. arch. Inst.* VI (1903) 10 sqq.

[5] IG III 1, 676, 678, 680, 1283.

[6] v. stemma familiae: IG III 1, 676.

2) *Ἐφ. ἀρχ.* 1885 p. 152 (Dittenberger SIG² 398):
Ἀππίαν Ἀννίαν Ῥήγιλλαν Ἀτιλίαν Καυκιδίαν Τερτύλλαν Ἀππίου ὑπάτου ποντίφικος θυγατέρα, Ἡρῴδου Μαραθωνίου ὑπάτου γυναῖκα τοῦ ἐξηγητοῦ, ὁ ἀνὴρ ἀνέθηκεν.
Herodes Atticus, qui hic *ἐξηγητής* vocatur, consul erat anno 143 p. Chr. n. Eum quoque e gente Cerycum fuisse constat (v. C. Dittenberger l. s. in adnotatione).

IV. Interpretes incerti generis:
1) In titulis epheborum IG II 466—471 *οἱ ἐξηγηταί* nominantur cognomine non distincti (v. infra p. 37).
2) In catalogo Eleusinio III p. Chr. n. saec. (*Ἐφ. ἀρχ.* 1900 p. 74 sqq.) legimus:

ἐξηγητής · διπλῆν
ἐξηγηταὶ τρεῖς · διπλᾶς (v. infra p. 46).

De gentilicio interpretum munere

Quanta fuerit singularum gentium apud Graecos cum publico deorum cultu cognatio, notum est. Quam ob rem his e gentibus solis saepissime ministri quoque sumebantur illorum deorum, quos praecipue gentes illae colebant. Exegetae quoque nostri, qui si non ipsi sacerdotes, at illis proximi sunt, gentilicio munere funguntur. Quod Plutarchus nobis testatur qui de nobilium privilegiis in universum haec dicit (Thes. 25): *Εὐπατρίδαις δὲ γινώσκειν τὰ θεῖα καὶ παρέχειν ἄρχοντας ἀποδοὺς* (scil. *Θησεύς*) *καὶ νόμων διδασκάλους εἶναι καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἐξηγητάς*. Atque re vera omnia interpretum Atticorum quae novimus genera ad certas gentes pertinere et in harum maxime sacris versari probari potest. Et ipsa eorum appellatio talis est, ut gentilicium ortum statim cognoscas: apparent *ἐξηγηταὶ ἐξ Εὐμολπιδῶν* atque *ἐξ Εὐπατριδῶν*[1].

[1] Primo Eupatridas omnino nobilium ordinem significare putabatur; ita O. Mueller et Chr. Petersen rem nostram tractaverunt. Sed Wilamowitzio duce (Herm. XXII (1887) 121) primus Toepffer (ibid. p. 479 sqq.) rem aliter se habere aperte demonstravit ipsorum exegetarum nomine testimonio usus. Nam si *ἐξηγηταὶ ἐξ Εὐμολπιδῶν* et *Εὐπατριδῶν* una leguntur, gentes hae sunt. Et habemus etiam Polemonis testimonium qui verba faciens de Semnarum sacris in Hesychidarum gente ferendis hoc addit: *τὸ δὲ τῶν Εὐπατριδῶν γένος οὐ μετέχει τῆς θυσίας ταύτης* (Müller FHG III p. 131 fr. 49 = schol. Soph. Oed. Col. 489). Praeter haec Wilamowitz (l. s.) hoc monuit, si alibi de munere, quo nobiles soli funguntur, verba fierent, *ἀρχὴν ἀριστίνδην αἱρετήν* illud dici, non: *ἐξ εὐπατριδῶν*. Sed non ubique Eupatridae gens sunt; invenimus etiam locos, quibus ordo totus significari videtur. Toepffer (l. s.) affert Xenoph. sympos. VIII 40, ubi Ceryces

Et ipsi *πυθόχρηστοι*, quos e certa gente non sumi antea putabant viri docti, gentilicio munere funguntur. Hoc nunc Delphicis titulis repertis[1] negari non potest. Si enim *ἐξηγητὴς ὁ πυθόχρηστος ἐξ Εὐπατριδῶν*[2] perspicuis dicitur verbis, dubium esse non potest, quin ex Eupatridarum gente sit ille interpres.

Sed solum in imperatoriae aetatis titulis *πυθοχρήστους* ita dici verum est; in titulis priorum aetatum legitur nihil nisi *πυθόχρηστος ἐξηγητής*[3]. Sed hac de re mirari non possumus; nam his in titulis etiam apud alterum interpretem desunt verba *ἐξ Εὐπατριδῶν*, ut alia fuisse antea dicendi ratio videatur. Atque etiam tum temporis *πυθοχρήστους ἐξηγητάς* ex Eupatridarum gente fuisse demonstrari potest. Nam *Ὀφέλας Ἄβρωνος* qui est *πυθόχρηστος ἐξηγητής*[4] et *Καλλίας Ἄβρωνος* et *Καλλίας Εὐκτήμονος* (*ἐξηγηταὶ ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένοι*[5]) eiusdem familiae et Eupatridarum gentis sunt. Vide titulum (13 b apud G. Colin) iam supra p. 3 allatum, ubi inter pythaistas *ἐξ Εὐπατριδῶν* enumerantur *Ἄβρων Καλλίου, Καλλίας Εὐκτήμονος*.

Paulo aliter res se habet in theatri Bacchici titulis[6], ubi *ὁ πυθόχρηστος ἐξηγητής* non *ἐξ Εὐπατριδῶν* appellatur, quamquam alter hac appellatione distinguitur. Atque ante hos Delphicos titulos repertos nemo erat, quin inde concluderet *τὸν πυθόχρηστον ἐξηγητὴν* e certa Attica gente non sumi. Nunc autem illis titulis maiorem fidem habere non dubito.

Quae cum ita sint, duo tantum Atticorum interpretum genera statuenda sunt, Eumolpidarum et Eupatridarum interpretes. Et horum quidem alterum genus et *πυθοχρήστους* et ceteros *ἐξ Εὐπατριδῶν* interpretes complectitur[7]. Nam quod uterque ex eadem gente

---

inter *εὐπατρίδας* enumerantur. Huius modi etiam vocis usus apud Plutarchum Thes. 25 (v. supra p. 12) videtur esse; sed omnibus aliis qui ad nostram rem spectant locis gens intellegenda est.

[1] Titulos illos v. apud G. Colin, l. s.

[2] Supra tit. I 3 p. 4. [3] Supra tit. I 1 et 2 p. 3.

[4] Supra tit. I 5 in epheborum catalogo.

[5] v. supra tit. I 1 et 2. [6] Supra I 6 et 13 p. 5, 6.

[7] Cerycum interpretes, de quibus in fine opusculi plura dicenda erunt, hic omittamus, cum dubia res sit.

ortus est, mihi artam eorum cognationem probare videtur, atque aliis quoque de causis illos cognatiores esse quam ut duo diversa illorum genera statuamus, postea videbimus.

Sed hi quoque gentium interpretes ut et plurimi alii gentium sacerdotes non in gente sola versati sunt, sed publica usi sunt auctoritate, atque tantum in numero publicorum magistratuum habendi sunt, quantum gentium illarum sacra ipsa cum re publica cohaerent. Interpretes Eupatridarum publica auctoritate fuisse optime fortasse demonstrant tituli in sellis theatri Bacchici inscripti. Ibi enim magistratuum solum sellae reperiuntur, inter quas sacerdotum tituli sunt plurimi. Atque si hic legimus *πυθοχρήστου ἐξηγητοῦ* (tit. I 6) et *ἐξηγητοῦ ἐξ Εὐπατριδῶν χειροτονητοῦ ὑπὸ τοῦ δήμου διὰ βίου* (tit. I 13), dubium esse non potest, quin publici fuerint magistratus. Etiam de Eumolpidarum interpretibus habemus testimonium, quod eos quoque rei publicae officia praestitisse aperte nobis demonstrat. Est honorum decretum, quo *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος* Medeum *τὸν ἐξηγητὴν ἐκ τοῦ γένους τοῦ Εὐμολπιδῶν* deabus Eleusiniis *ἀνέθηκαν* propter pietatem erga deas et officia facta *περὶ τὴν ἐξήγησιν τῶν ἱερῶν καὶ πατρίων* (tit. II 3).

Atque tamen interpretum munus non tantum habendum est, quantum e gentium illarum auctoritate fortasse concludas. Quod mihi vel inde elucere videtur, quod nimis rara sunt de eis apud scriptores testimonia, quod argumentum ex silentio petitum hic afferre non dubito, cum si interpretes maiore auctoritate fuissent, compluries certe scriptores eos commemorarent neque Aristoteles in libro de Atheniensium re publica scripto eos silentio praetermisisset. Nisi titulos haberemus, fieri non posset, ut certi aliquid de eorum munere statueremus. Nam e scriptorum rara commemoratione nihil hauriri potest nisi quas res interpretati sint, atque lexicographorum glossae incertiora testimonia sunt.

De Eupatridarum interpretibus

Eupatridarum gentem, quam ab Oreste originem ducere R. Hirzel demonstravit (Mus. Rhen. XLIII (1888) 631 sqq.), Apollinis in cultu maxime versatam esse compluribus probatur testimoniis [1]. De gentis interpretibus hoc idem statui potest. *Πυθοχρήστου ἐξηγητοῦ* nomen ipsum nos docet eum cum Pythico oraculo arte cohaerere. Atque revera illos interpretes paene ubique reperimus inter duces eorum, qui ad Apollinis oraculum ab Atheniensium republica mittebantur, ut deo sacrificia offerrent [2].

Quam ob rem, ut hoc statim addamus, sententia eorum qui *πυθοχρήστους* et *πυθαϊστάς* eosdem esse putaverunt [3] retineri non potest; videmus enim e titulis Delphicis *πυθοχρήστους* inter *πυθαϊστάς* enumerari.

Una cum his *πυθοχρήστοις* exegetis etiam *ἐξηγηταὶ ἐξ*

[1] v. Toepffer *Att. Gen.* p. 175 sq.

[2] Haec theoria appellata est *πυθαΐς*, imperatorum autem temporibus *δωδεκής*. Legati ipsi sunt *πυθαϊσταί*; antiquioribus temporibus forma *πυθιασταί* reperitur (v. G. Colin l. s. p. 14 adn. 4). Cum ante paucos hos annos satis obscura esset haec institutio (v. J. Toepffer, Herm. XXIII (1888) 321, et Nikitsky, Herm. XXVIII (1893) 620), nunc e titulis Delphicis multo melius rem novimus, v. quae Colin hac de re disputavit in libro saepius laudato.

[3] Bouché-Leclercq *Histoire de la divination*, Paris 1879, II p. 217. Antequam noti fuerunt illi tituli, ad hanc illum virum doctum venire potuisse sententiam facile intellegitur, si utrosque in Apollinis cultu versatos esse recordamur atque *πυθαϊστάς* et ipsos prodigia et auspicia interpretatos esse e Strabone comperimus (IX 2, 11).

Εὐπατριδῶν ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένοι in illis Delphicis legationibus inveniuntur, atque vel inde elucet hunc alterum interpretem ab altero non tam diversum esse quam antea putabant viri docti. Nam utrumque interpretem in Apollinis cultu versatum esse ex illis titulis cognoscimus, in quibus fere ubique una commemorantur [1].

In Apollinis religione Eupatridarum interpretum originem ponendam esse alia testimonia demonstrant. Prima exegetici muneris commemoratio in Atheniensium litteris exstat in Aeschyli Eumenidibus (v. 609 ed. Weil), ubi poeta Apollinem ipsum exegetae munere fungentem fecit. Orestes ipse a deo hoc petit:

ἤδη σὺ μαρτύρησον. ἐξηγοῦ δέ μοι,
Ἄπολλον, εἴ σφε σὺν δίκῃ κατέκτανον.

Atque hoc idem dilucide ex Platone cognoscitur, qui in Rep. IV p. 427 C Pythicum deum *πάτριον ἐξηγητήν* appellat (. . *οὐδὲ χρησόμεθα ἐξηγητῇ ἀλλ' ἢ τῷ πατρίῳ*). Apollo ergo ipse primus huius gentis interpres fuit. Sed etiam quare ab hoc deo derivatum sit hoc munus, adhuc perspici potest. Summum Eupatridarum interpretum officium fuisse expiationem et lustrationem supplicum postea videbimus. Apollinis autem in religione ortum esse hunc expiationis et lustrationis morem viri docti hodie persuasum habent (v. J. Toepffer *Att. Gen.* p. 259 adn. 2 et Schoemann-Lipsium *Griech. Alt.* II [4] p. 362). Nam Apollo est deus purus, cuius homines et ipsos puros esse maxime interest (Wilamowitz *Aesch. Choephoren*, Berol. 1896 p. 17). Hac quoque de causa Apollo in Aeschyli Eumen. Orestem expiandum curat. Quam ob rem Toepffer putat hanc Orestis expiationem pro exemplo fuisse, quo prolato Eupatridae suum expiandi ius comprobaverint [2].

---

[1] R. Schoell, Herm. XXII (1887) 565, qui hos Delphicos titulos nondum noverat, illos *ἐξ Εὐπατριδῶν ἐξηγητάς* cum Iovis sacris cohaerere putavit, nulla causa nisus nisi quod, cum *πυθόχρηστοι* Apollinis, *ἐξηγηταὶ ἐξ Εὐμολπιδῶν* Cereris sint in officio, hos *ἐξ Εὐπατριδῶν* interpretes ad Iovem referendos esse arbitratus est, ut hoc modo interpretes haberemus illorum trium deorum, qui praeter alios in iure iurando ab Atheniensibus invocati sunt (Usener *Dreiheit*, Mus. Rhen. LVIII (1903) 19).

[2] Toepffer *Att. Gen.* p. 177: *An dieses Ereignis werden die πάτρια*

Munus tale, quod a deis ipsis originem ducit, antiquissimum esse apparet, neque dubitari potest, quin a primis temporibus in gente ipsa hi interpretes fuerint, etiamsi non statim publica usi sint auctoritate. Atque tamen certa huius rei testimonia de eis quidem temporibus, quibus Atheniensium civitas maxime florebat, nobis desunt. Etiamsi apud Platonem [1], Isaeum [2], Demosthenem [3] *ἐξηγηταί* commemorantur, tamen his cognomen non additur, ut illis locis pro testimoniis uti nondum possimus. Certi demum Eupatridarum interpretum testes sunt Romanae aetatis tituli. Atque hic demum de eorum munere tantum comperimus, ut paulo accuratius quomodo institutum sit hoc munus perspicere possimus.

Duo ibi Eupatridarum interpretes nobis occurrunt, *οἱ πυθόχρηστοι ἐξ Εὐπατριδῶν* et *οἱ ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένοι*. Utrumque ex Eupatridarum gente esse ob eamque rem in Apollinis cultu versari dictum iam est. Quae autem inter eos est differentia? Hoc ipsum eorum nomen accuratius nobis legentibus indicare potest. Ut ab altero interprete exordiamur, hic est *καθεσταμένος ὑπὸ τοῦ δήμου*, vel ut accuratius in theatri titulo dicitur *χειροτονητὸς* [4] *ὑπὸ τοῦ δήμου*. Ab universo igitur populo h. e. in contione eligitur manibus elatis [5].

Quo autem modo *πυθόχρηστος* interpres instituitur? Si titulum 13a apud G. Colin (v. supra I 1), ut optimo exemplo utar, inspicimus, ubi in utriusque interpretis nomine desunt verba *ἐξ Εὐπατριδῶν*, atque si ibi legimus: *ἐξηγητὴς ὁ πυθόχρηστος* et statim post: *ἐξηγητὴς ὁ ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένος*, eos ipso nomine discerni apparet. Atque ex eius forma ipsa elucet *ὁ πυθόχρηστος* et *ὁ ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένος* verba opposita esse, ut hac quoque in re sensus differentia esse debeat h. e. in electionis ratione [6]. Quomodo autem *πυθόχρηστος*

τῶν Εὐπατριδῶν angeknüpft haben, um das erbliche Vorrecht der Exegese legendarisch zu motivieren.

[1] Euthyphr. 4C et compluries in legg., v. infra p. 26sqq.

[2] *Περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου* 38. [3] Or. XLVII 68, 69.

[4] Alia huius verbi forma legitur Colin tit. 60: *ἐξηγητὴς κεχειροτονημένος*.

[5] Solo in titulo I 14 deest illud appositum, quod dicat quomodo institutus sit ille interpres. Sed hoc incuria factum esse crediderim.

[6] Quam ob rem nomina quae adhuc in usu erant, *ἐξηγητὴς πυθόχρηστος* et *ἐξηγητὴς ἐξ Εὐπατριδῶν* non quadrare manifestum est, cum hac in re

ἐξηγητής eligatur, hoc quoque mihi nomen eius ipsum indicare videtur. Nam πυθόχρηστος est: a Pythico Apolline designatus. Haec singularis certe in Atheniensium re publica eligendi ratio est neque similia habemus exempla, praeterquam quod, ut Foucart animadvertit (*Les grands mystères d'Eleusis* l. s.), Clisthenis aetate tribuum singularum ἐπωνύμους eodem modo electos esse apud Aristot. Ἀθ. πολ. 21 traditur[1]. Sed de singulari hac electionis ratione dubitare non possumus, si interpretes illos maxime Delphico oraculo officia praestitisse meminerimus.

Quae si in animo tenemus, ad aliud nunc testimonium accedere possumus, quod recte explicatum etiam prioribus temporibus hos duo Eupatridarum interpretes eodem modo institutos fuisse mihi probare videtur. Plato in legibus VI 759 D de interpretibus verba facit, atque accuratissime eorum electionis modum praescribit. Locus hic est:

Ἐκ Δελφῶν δὲ χρὴ νόμους περὶ τὰ θεῖα πάντα κομισαμένους καὶ καταστήσαντας ἐπ' αὐτοῖς ἐξηγητὰς τούτοις χρῆσθαι. Κατ' ἐνιαυτὸν δὲ εἶναι καὶ μὴ μακροτέραν τὴν ἱεροσύνην ἑκάστην, ἔτη δὲ μὴ ἔλαττον ἑξήκοντα ἡμῖν εἴη γεγονὼς ὃ μέλλων καθ' ἱεροὺς νόμους περὶ τὰ θεῖα ἱκανῶς ἁγιστεύσειν. ταῦτα δὲ καὶ περὶ τῶν ἱερειῶν ἔστω τὰ νόμιμα. τοὺς δὲ ἐξηγητὰς τρὶς[2] *φερέτωσαν μὲν αἱ τέτταρες φυλαὶ τέτταρας, ἕκαστον ἐξ αὑτῶν, τρεῖς δὲ οἷς ἂν πλείστη γένηται ψῆφος, δοκιμάσαντας ἐννέα πέμπειν εἰς Δελφοὺς ἀνελεῖν ἐξ ἑκάστης τριάδος ἕνα. τὴν δὲ δοκιμασίαν αὐτῶν καὶ τοῦ χρόνου τὴν ἡλικίαν εἶναι καθάπερ τῶν ἱερέων. οὗτοι δὲ ἔστων ἐξηγηταὶ διὰ βίου. τὸν δέ γε λιπόντα προσαιρείσθωσαν αἱ τέτταρες φυλαί, ὅθεν ἂν ἐκλίπῃ.*

Sensum horum verborum obscurum esse statim cognoscimus atque viri docti de eis interpretandis inter se non consentiunt. Altera virorum doctorum pars omnes interpretes e novem electis a Delphico deo designari explicavit.

---

inter se non differant. Alter potius dicendus est *ἐξηγητὴς ὁ ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένος* et hoc nomine a *πυθοχρήστῳ* discernendus.

[1] *Ταῖς δὲ φυλαῖς ἐποίησεν ἐπωνύμους ἐκ τῶν προκριθέντων ἑκατὸν ἀρχηγετῶν, οὓς ἀνεῖλεν ἡ Πυθία δέκα.*

[2] *Τοὺς δὲ ἐξηγητὰς τρὶς φερέτωσαν*, quod Hermann et Schanz restituerunt pro tradito *τρεῖς* (v. edd.), scribendum esse apparet, cum *τρεῖς* non quadret ad sequentia verba: *αἱ τέτταρες φυλαὶ τέτταρας*.

Ita Chr. Petersen[1] probare studuit *τρεῖς* et *ἐννέα* coniungenda esse verba atque *ἐννέα* solum appositum esse, ut *τρεῖς* accuratius explicaretur. Qua ex interpretatione e quaternis terni *δοκιμάζονται,* atque hoc ter fit, ut novem sint qui Delphos mittantur. Eundem sensum restituere vult Const. Ritter[2], sed *τέτταρας* delendum esse putat atque scribendum: *Τοὺς δὲ ἐξηγητὰς τρεῖς φερέτωσαν αἱ τέτταρες φυλαί,* eqs. Sed utriusque viri docti explicationem nimis argutam esse statim apparet, in qua maxime hoc mirum tres illos interpretes e quaternis eligi, non ex omnibus duodecim.

Multo melius mihi altera interpretatio placet, quam Const. Ritter eodem loco proposuit. *Τρεῖς* enim cum *ἐννέα* coniungendum non esse disputat, sed duo haec esse interpretum genera. Omnino duodecim creantur, *von denen nach Ausscheidung der drei, die am meisten Stimmen erhalten, noch neun dem Gotte zur Wahl präsentiert werden.* Sed ut hunc sensum restituat, pro: *τρὶς φερέτωσαν . . τέτταρας* scribere vult: *τρεῖς . . . τετράκις.* At mea sententia hac mutatione opus non est, quae palaeographicis quoque ex legibus difficilior est intellectu quam altera, ubi *τρίς* pro *τρεῖς* scribitur. Nam etiamsi *τρὶς φερέτωσαν* eqs. legimus, duodecim fiunt. Hoc modo mihi optime verborum sensus intellegi posse videtur mutatione nulla facta neque argutiore interpretatione adhibita. Quod alia re adiuvatur. Duo electionis modi hic a Platone praescribuntur: tres interpretes a populo statim eliguntur, qui plurima nancti sunt suffragia; tres vero e novem reliquis a deo ipso designantur. Quid autem aliud hoc est atque duo illa interpretum genera e Romanae aetatis titulis nobis nota, *ἐξηγηταὶ οἱ ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένοι* et *ἐξηγηταὶ οἱ πυθόχρηστοι*? Hac re certam fieri nostram huius loci interpretationem persuasum mihi est.

Quaestio autem oritur, num haec eligendi ratio, quam Plato in sua quam fingit re publica instituit, re vera Athenis adhibita sit. Quae quaestio una cum alia absolvenda est, num omnino, quod Plato in legibus de publicis tradat institutis, ad Atticas res ipsas deferri possit. Atque hoc certum

[1] Philol. suppl. I (1860) 158.

[2] In commentario ad Platonis leges conscripto, Lips. 1896 p. 162.

est Platonem in legibus multo magis quam in re publica, quae tota ex philosophicis eius praeceptis constructa est, instituta vere Attica secutum esse. C. Fr. Hermann[1] hoc probare studuit et in multis probavit. De nostra quaestione haec dicit (p. 41): „In sacerdotibus certe, ubi propius eam (creationem) describit, nihil sancit, quod non pariter etiam apud omnes Graecos obtinuerit". Sed cum G. Colin (l. s. p. 39) valde dubito, num hac in re Platoni fides tribuenda sit. Primum enim ille eligendi modus, quem apud Platonem invenimus, nimis difficilis videtur quam qui re vera adhiberi possit, neque illo tempore quattuor tribus sunt, per quas secundum Platonem electio fiat. Tum alia quoque in re ibidem commemorata Platonem ab Atticis institutis abhorrere scimus, sacerdotes enim Attici neque quotannis eliguntur omnes neque annum sexagesimum superasse debent[2]. Denique quod e titulis comperimus hos interpretes ex Eupatridarum gente desumptos esse, cum electionis modo, quem Plato praescribit, minime potest coniungi. Postremo si nostros interpretes eosdem esse atque Platonis interpretes putandum est, cur Plato eos illo nomine, quod e titulis nobis notum est, non appellavit? Hoc fortasse cuipiam dubitationem movet, praesertim cum certa alia ex Platonis temporibus testimonia nobis desint.

Atque tamen Platonis testimonium non plane reiciendum esse puto. Primum enim hanc solam ob rem, quod certa ex illis temporibus testimonia nobis desunt, interpretes illos tum exstitisse minime negari potest, cum casu fortasse hoc factum sit. Immo ipsis in rebus sacris, quae quantopere incolumes conserventur nemo nescit, hoc cavendum est, et si ex posterioribus solum temporibus talia instituta nobis traduntur, illa semper fere ad priores quoque aetates referri possunt. Itaque nostra quoque in re, etiamsi Plato interpretes suos vero nomine non appellat, tamen eum illos in animo habuisse crediderim. Fortasse non aperte illos solito nomine appellat, cum soli sint apud eum interpretes atque e re ipsa perspicuum fuerit, qui intellegendi essent[3].

[1] De vestigiis institutorum veterum, imprimis Atticorum per Platonis de legibus libros indagandis, 1836.

[2] Schömann-Lipsius *Griech. Alt.* II[4] p. 443.

[3] Solo legg. IX 865 C loco Plato interpretes accuratius significat appo-

At Platonis testimonium nonne ita intellegendum est, ut postea demum ex eius praeceptis interpretum munus institutum esse sumatur? Sed Platonis in legibus verba tantum valuisse non crediderim. *Πυθοχρήστους* certe interpretes antiquissimos esse ex eorum nomine mihi elucere videtur, atque alteros quoque Eupatridarum interpretes, qui a populo eliguntur, iam Platonis temporibus exstitisse mihi persuasum est, quamquam illos alteris recentiores esse propter electionis modum, qui non nisi in libera re publica adhibetur, negari non potest.

Ut brevi comprehendam, Plato duo interpretum genera instituenda esse praescribit, interpretes qui a populo creentur et interpretes qui a deo designentur. Atque cum eadem genera revera reperiantur posteris temporibus, etiam Platonis temporibus interpretes eodem modo institutos esse pro certo haberi potest. Tali ratione Platonis in legibus testimonio uti possumus. Hoc solum addendum est tum quoque interpretes illos ex Eupatridarum gente desumptos esse, cum Plato e quattuor tribubus eos eligi praescribat.

Sed Plato aliis quoque legum locis interpretes commemorat, e quibus eorum in civitate eius officia maxime cognoscantur. Hos quoque testes reiciendos non esse censeo, cum in iis, quae illis facienda sunt Athenis, non credam Platonem quidquam mutasse. Sed hac de re postea videbimus.

Nunc demum quaestione de Platonis in legibus testimonio absoluta aliud afferri potest testimonium, quod per se incertissimum mihi videtur. Est titulus I 4 (supra p. 4), de quo R. Schoell, Herm. VI (1871) 31 sqq. accurate disputavit. Quo in titulo ii enumerantur, qui cibo in prytaneo per vitam donati sunt. Sed nimis est mutilatus quam ut certa restitui possint eo quidem loco, ubi interpretum mentio sit facta. Sed suo iure R. Schoell suspicatus est interpretes ibi commemoratos esse. Nam hos ius cibi in prytaneo habuisse aliis quoque probatur testimoniis, de quibus postea plura di-

---

sitis verbis *οὓς ἂν ὁ θεὸς ἀνέλῃ* atque ita ab aliis interpretum generibus hos, quos Apollo designavit, seiungere videtur. Quam ob rem ut hoc evitaret, miro quodam modo Chr. Petersen l. s. p. 160 enuntiatum construxit *οὓς* non ad *ἐξηγητάς*, sed ad *τούτων* scil. *καθαρμῶν* referens. Sed hoc fieri non posse statim apparet.

cenda sunt. Itaque hoc titulo, qui anno fere 430 a. Chr. adscribitur, confirmari potest, quod Platonis testimonium nos docuit, etiamsi *ἐξηγηταὶ οὓς ὁ Ἀπόλλων ἀνέλῃ* inusitata est forma pro *ἐξηγηταὶ πυθόχρηστοι*[1].

Quid autem amplius de exteriore huius muneris forma e titulis erui potest? Atque primum de *πυθοχρήστοις* eorumque numero dicendum est, utrum unus sit an plures qui collegium faciant. Secundum Platonis in legibus praecepta plures certe fuerunt, atque si nostram loci interpretationem sequimur, tres ab Apolline sunt designati. Qua cum re convenit, quod et aliis ubi interpretes in Platonis legibus commemorantur locis nusquam singularis numerus reperitur. Sed hac quoque in re Platonem sequi nolim, nisi et alibi interpretes collegium fuisse confirmatur. Theatri Bacchici reliquiae unius tantum sellam exhibent. Sed hoc per se ipsum nullius momenti est. Nam fortasse si plures fuerint, princeps collegii solus in theatro sellam habuit. Verisimile autem non est aliam eiusdem tituli sellam casu perditam esse[2]. Sed quid alii tituli nos docent? Nusquam complures *πυθόχρηστοι* una commemorantur. Hoc maxime mirum videtur in Delphicis titulis, in quibus si revera interpretes *πυθόχρηστοι* collegium erant, nihil erat, cur unum solum Delphos mitterent. Ita *μάντεις* quoque complures reperiuntur, v. c. in tit. 57 apud G. Colin l. s. Quam ob rem equidem crediderim unum solum *πυθόχρηστον* interpretem hoc munere functum esse[3].

Sed habemus aliud testimonium, quod prioribus quidem temporibus saepius allatum est, ut *πυθοχρήστους* collegium fuisse confirmaretur, Timaeum dico in lexico ad Platonem conscripto. Verba ex priorum interpunctione haec sunt: *Ἐξηγηταί· τρεῖς γίγνονται πυθόχρηστοι οἷς μέλει καθαίρειν τοὺς ἄγει τινὶ*

[1] Sed fortasse hoc explicari potest temporis differentia, et re vera apud Platonem in legg. IX 865 C eandem formam legimus: . . *ἐξηγητὰς εἶναι κυρίους οὓς ἂν ὁ θεὸς ἀνέλῃ.*

[2] v. Gu. Vischer, *Kleine Schr.* II 368.

[3] Idem inde quoque forsitan quispiam concludat, quod in omnibus fere titulis ad *πυθοχρήστου* nomen articulus appositus est. Sed Colin (p. 148 adn. 2) recte cognovit in Delphicis illis titulis articulum ad arbitrium positum vel omissum esse; v. tit. 57, ubi passim reperitur, cum tit. 60 omnino desit.

ἐνισχεθέντας· καὶ οἱ ἐξηγούμενοι τὰ πάτρια. Qui ita legebant, de πυθοχρήστων collegio dubitare non poterant. Sed Gu. Vischero duce[1] Toepffer[2] sensum alia glossae interpunctione restituit. Ita enim verba secernit: ἐξηγηταὶ τρεῖς γίγνονται· πυθόχρηστοι eqs. Hoc rectum esse totius quoque enuntiati constructio mihi probare videtur. Nam priore ex interpunctione verba: καὶ οἱ ἐξηγούμενοι τὰ πάτρια non apte sunt addita, cum nesciamus, utrum haec verba ipsa quoque ad πυθοχρήστους pertineant — tum autem melius dictum esset: καὶ οἳ ἐξηγοῦνται τὰ πάτρια vel οἱ ἐξηγούμενοι καὶ τὰ πάτρια[3] — an aliud significent interpretum genus — tum autem mirum esset, quod ad πυθοχρήστους numerus additus est, cum hic desit. Sin autem Toepfferi recipimus interpretationem, glossa haec dicit: tria[4] sunt interpretum genera: et πυθόχρηστοι et οἱ ἐξηγούμενοι τὰ πάτρια (h. e. Eupatridarum et Eumolpidarum). Sed quod ad Pythicorum interpretum numerum attinet, unum obstare videtur. Timaeus etsi tres fuisse πυθοχρήστους non dicit, tamen plurali utitur numero. Sed hoc nihil valere in nostra quaestione crediderim. Nam etiamsi unum solum πυθόχρηστον esse Timaeus non ignorabat, plurali tamen numero uti potuit eodem modo, quo saepius in enumerandis rebus hoc dicimus. Fortasse etiam plurali ἐξηγηταί commotus est, ut πυθόχρηστοι diceret.

Aliud contra singularem huius interpretis numerum testimonium attulit R. Schoell (Herm. XXII (1887) 564), atque hoc ex prosopographia ipsa. Hieroclem enim et Lamponem affert eodem tempore utrumque exegetam fuisse. Hac de re et de testimoniis fusius agemus, si de certis qui adhuc innotuerunt interpretibus verba facienda sunt. Sed hic satis sit dicere Hieroclem exegetam πυθόχρηστον fuisse omnino non tradi, etsi simillimo χρησμολόγου et vatis functus sit munere.

Quod de πυθοχρήστων numero diximus, idem de altero interprete, qui a populo ex Eupatridis eligitur, dici potest. Nam hi quoque in singulari numero reperiuntur in titulis Del-

[1] *Kl. Schriften* II 368. [2] *Att. Gen.* p. 70.

[3] v. Chr. Petersen l. s. p. 156.

[4] Quod Timaeus tria esse interpretum genera dicit, cum nos duo tantum statuerimus, hac de re mirari non debemus; ad gentilicium enim interpretum ortum non spectat neque ullo verbo eum commemorat.

phicis, nullumque habemus testimonium, quod unum hoc munere functum esse putare nos vetet.

Quid porro de tempore, per quod munere functi sint, statuendum est? Interpretem a populo *διὰ βίου* electum esse titulus theatri Bacchici aperte dicit: *ἐξηγητὴς ἐξ Εὐπατριδῶν χειροτονητὸς ὑπὸ τοῦ δήμου διὰ βίου*. Quam ob rem etiam *πυθόχρηστον* per vitae suae tempus ab Apolline esse designatum propter magnam inter utrumque similitudinem statim suspicari possumus. Et re vera *πυθόχρηστον ἐξηγητὴν Φαῖδρον Ἀττάλου* (tit. I 1) reperimus et Agathocle et Argeo archonte (tit. 1, 2), quorum alter decem fere post alterum annis summo munere functus est. Non dubia res est imperatorum temporibus (v. tit. I 3), ubi in utroque munere eosdem semper reperimus viros. Itaque hac quoque in re Atticam consuetudinem cum Platonis praescripto consentire videmus, qui cum sacerdotes in annum creandos esse censeat, interpretes *διὰ βίου* munere fungi permittit.

Haec sunt, quae de exteriore utriusque interpretum muneris institutione comperimus; qua e re elucet quam similes vel in his inter se fuerint et interpres ab Apolline designatus et interpres a populo electus.

Sed ad perficiendam quaestionem summum restat, ut perquiramus, quae illorum iuris sacri interpretum singula fuerint officia. E certis gentibus omnes tres interpretes desumptos esse vidimus; quam ob rem etiam ius, quod interpretantur, primum fuisse ius gentis cognoscemus, atque si ius illud a tota civitate observatur, factum hoc est auctoritate gentis magisque religionis, in qua gens illa maxime versatur.

Eupatridarum gentem eiusque interpretes in Apollinis maxime cultu officia praestitisse dictum iam est. Sed si ad singula spectamus, difficile hic est utriusque Eupatridarum interpretis officia accuratius seiungere. Atque tamen cum ipsa exteriore muneris forma cognatissimi sint, valde desideramus quid eos secernat et qualis utriusque provincia sit certiores fieri. Saepius autem *ἐξηγηταί* commemorantur sine accuratiore nomine, ut ex eorum factis, ad quod interpretum

genus pertineant, concludendum nobis sit. Atque his in quaestionibus hoc quoque animadvertendum est, quod, ut saepe iam diximus, titulorum testimonia, quae *πυθοχρήστους* et *ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένους* interpretes fuisse testantur, Romanam aetatem non antecedunt, ut dubitari possit, utrum titulorum illorum interpretes et illi, qui a scriptoribus maxime priorum saeculorum commemorantur, coniungendi sint an diversi ab illis sint privati interpretes.

Ut ab illis incipiamus, qui ex Eupatridarum gente a populo sunt electi, de eorum officiis solum habemus Timaei testimonium, qui eis una cum Eumolpidarum interpretibus patriarum legum interpretationem adscribit. Et *πάτρια* Eupatridarum exstitisse testatur nobis Athenaeus IX 410a: *Παρέθετο ταῦτα καὶ Δωρόθεος φάσκων καὶ ἐν τοῖς τῶν Εὐπατριδῶν*[1] *πατρίοις τάδε γεγράφθαι περὶ τῆς τῶν ἱκετῶν καθάρσεως.* Athenaeus igitur haec verba e Dorothei scripto sumpsit, quo Eupatridarum *πάτρια* commemorata erant. Simul his ex verbis comperimus harum legum partem continuisse *περὶ τῆς τῶν ἱκετῶν καθάρσεως* leges. Plura certa testimonia de horum interpretum officiis non habemus; has igitur patrias leges eos interpretatos esse statuendum est. Ut de Eumolpidarum interpretibus nihil aliud traditur nisi quod *πάτρια* explicaverunt, ita et Eupatridarum hi quidem interpretes hoc munere functi sunt. Quorum *πάτρια* ex parte quidem de expiatione et lustratione egisse audimus.

Sed difficilior res fit, cum *πυθοχρήστους* quoque tales lustrationes et expiationes perfecisse certum habeamus Timaei testimonium: *πυθόχρηστοι οἷς μέλει καθαίρειν τοὺς ἄγει τινὶ ἐνισχεθέντας.* Cuius testimonium eo minus neglegendum est, cum id non e Platone solo Timaeus haurire potuerit, qui

[1] Nam quod O. Mueller iam cognovit (Eumen. p. 162) scribendum esse *Εὐπατριδῶν* pro tradito *Θυγατριδῶν*, certam esse emendationem arbitror. Iam Casaubonus *Θυατειρηνῶν* et Adam *Θυργωνιδῶν* coniecerunt; Lobeck, Aglaoph. p. 186 multo melius *Φυταλιδῶν*, quae coniectura vel hanc ob rem magis arridet, quod et Phytalidarum gentis erat supplices expiare (Schömann-Lipsius *Griech. Alt.* II[4] 368 et Toeffer *Att. Gen.* p. 248). Sed palaeographicis ex legibus mihi quoque verisimilius videtur *ΘΥΓΑΤΡΙΔΩΝ* ex *ΕΥΠΑΤΡΙΔΩΝ* ortum esse (v. Chr. Petersen, Philol. suppl. I (1860) 163).

πυθοχρήστων nomine non utitur. Itaque difficile est secernere πυθοχρήστου et alterius Eupatridarum interpretis officia, si πυθοχρήστων expiandi et lustrandi summum fuisse officium traditur itemque alterius interpretis, interpretari τὰ πάτρια, quorum partem lustrationes fuisse comperimus.

Sed mirum non est utrumque interpretem hoc in officio convenire. Nam utrumque ex Eupatridarum gente esse scimus, cuius gentis πάτρια de lustrationibus fuisse Athenaeus tradit. Utrumque praeterea in Apollinis sacris versatum esse cognovimus. Apollinis autem in cultu ortum esse hunc expiationis et lustrationis morem ibique Eupatridarum interpretum originem ponendam esse supra iam demonstravimus. Sed easdem ob causas e fontibus qui nobis adhuc fluunt, discernere non possumus, qua in re differant utriusque interpretis officia. Atque dubitari potius potest, num omnino tanta sint inter se differentia, ut non collegium duorum interpretum eos fuisse credendum sit, qui una eademque officia praestiterint. Et habemus testimonia, quibus hanc sententiam confirmari postea videbimus. Quam ob rem fere ubique in dubio relinquam, utrum πυθόχρηστος an alter Eupatridarum interpres intellegendus sit, nisi malumus alteri ex his maiorem tribuere auctoritatem [1].

Si de singulis lustrationum modis quaerimus, optime adiuvamur eis, quae Plato in legibus de interpretum officiis praescribit. Nam Platonis interpretes nullos nisi Eupatridarum interpretes intellegi posse supra demonstratum est. Sed Plato et ipse utriusque interpretis officia accurate non secernit, ut eius testimonio communia esse utriusque munera confirmetur. Atque etiamsi id, quod Plato de interpretum officiis in civitate sua faciendis dicit, ad vere Atticos interpretes deferri posse persuasum habeo, tamen non obliviscendum est interpretum munus apud Platonem paulo esse amplificatum atque elatum, cum soli apud eum ius sacrum interpretentur atque

[1] Talem Wilamowitzius quidem sententiam profert, si dicit (*Aristoteles u. Athen*, Berol. 1893 I p. 280): *Die* pontifices *Athens sind die Exegeten, insbesondere die Exegeten ἐξ Εὐπατριδῶν; denn die eumolpidischen fallen hier sicher fort; die pythischen haben, seit der direkte Verkehr mit dem Gotte Regel war, wenig bedeutet.*

in civitate nova constituenda quasi sint legum sacrarum inventores. Ita legg. 759 C *περὶ τὰ θεῖα πάντα* interpretes adhibendos esse poscit. Sed etiamsi Plato in universum interpretum suorum munus amplificaverit, quod de singulis eorum officiis dicit, hoc confirmari saepius aliis testimoniis potest [1].

Quarum lustrationum modum rationemque artem esse, cuius non omnes periti sint, optime fortasse demonstratur ea re, quod Athenienses ipsos, cum Cylonis comites interfecissent, ad se expiandos Epimenidem Creta arcessivisse narratur, qui peritissimus huius rei tum putabatur [2]. Atque expiationum et lustrationum praecepta ipsa nonnulla habemus, e quibus quantum ad singula spectent bene elucet. Ut Athen. IX 410 a/b Clidemus in exegetico libro *περὶ ἐναγισμῶν* haec praescribit: *Ὄρυξαι βότυνον πρὸς ἑσπέραν τοῦ σήματος· ἔπειτα παρὰ τὸν βότυνον πρὸς ἑσπέραν βλέπε, ὕδωρ κατάχεε λέγων τάδε· ὑμῖν ἀπόνιμμα οἷς χρὴ καὶ οἷς θέμις. ἔπειτα αὖθις μύρον κατάχεε.* Item Dorotheus eodem loco: *Ἔπειτα ἀπονιψάμενος αὐτὸς καὶ οἱ ἄλλοι οἱ σπλαγχνεύοντες ὕδωρ λαβὼν κάθαιρε, ἀπόνιζε τὸ αἷμα τοῦ καθαιρομένου καὶ μετὰ τὸ ἀπόνιμμα ἀνακινήσας εἰς ταὐτὸ ἔγχεε.*

Ut a rerum lustratione incipiam, Plato legg. VIII 845 E praescribit, si aquae venenatae sint, secundum interpretum praecepta eas esse lustrandas: *Καθηράτω τὰς πηγὰς ἢ τἀγγεῖον τοῦ ὕδατος, ὅπηπερ ἂν οἱ τῶν ἐξηγητῶν νόμοι ἀφηγῶνται δεῖν γίγνεσθαι τὴν κάθαρσιν ἑκάστοτε καὶ ἑκάστοις.* Hoc Anticlidis [3] quoque spectat fr. 15, quod ex eius exegetico sumptum de aedium lustratione verba facit: *Ὀξυθύμια τὰ καθάρματα λέγεται καὶ ἀπολύματα· ταῦτα γὰρ ἀποφέρεσθαι εἰς τὰς τριόδους, ὅταν τὰς οἰκίας καθαίρωσιν.*

Interpretes in tali rerum lustratione adhibitos esse ipsi tituli nobis confirmant. Ita *Ἐφ. ἀρχ.* 1884 p. 167 in titulo in arce invento haec leguntur v. 10 sqq.: *Ἐπεὶ δὲ πάτριόν ἐστιν ἐν μηδενὶ τῶν τεμενῶν μήτ' ἐντίκτειν μήτ' ἐναπο[θνήσκειν]*

[1] Quam ob rem iniuria mihi Schoemann-Lipsius *Griech. Alt.* II[4] 364 adn. 4 de hac re aliter iudicare videtur.

[2] Aristot. in Athen. rep. 1. Hanc fabulam esse demonstrat Toepffer *Att. Gen.* p. 140 sq.

[3] Mueller, Fr. script. de rebus Alex. M. p. 150.

. . . *ους* [*ἰδ*]*ιωτικῶν γεγονυῶν κτήσεων ἀπαρατήρητον αὐτῶν τὴν χρῆσιν γεγε*[*νῆσ*]*θαι, τὸν μὲν ἐξη*[*γητὴν . . . . . τὸ*]*ν δ' ἐπὶ τοὺς ὁπλείτας στρατηγὸν Μητρόδωρον Ξένωνος* eqs. Tsountas, qui titulum edidit, inter Pompeium et Hadrianum eum incisum esse dicit. In ea quae ad nostram rem spectat parte hoc contineri videtur: sacellum quoddam venditum erat, ut privatis usui esset; atque moriebantur et nascebantur ibi homines. Cum autem *πάτριον* esset *ἐν μηδενὶ τῶν τεμενῶν μήτ' ἐντίκτειν μήτ' ἐναποθνήσκειν*, neque sacra deorum venire fas esset, primum in perdita parte tituli de poena eorum, qui hoc sacrilegium commisissent, decretum esse videtur. Tum autem sacellum ipsum ut in pristinam integritatem restitueretur, lustratio interpreti mandata est. Atque quaestio hic occurrit, qui sit ille interpres. Accuratius nomen deest. Neque in lacuna novem litterarum id positum esse credo. Nam verbum desideratur (fortasse *καθαίρειν*), non autem nomen proprium, de quo quispiam cogitare possit spectans ad sequentia *στρατηγὸν Μητρόδωρον*. Hic publicus certe est interpres; nam de causa publica consulitur. Solum interpretis officium restat, ut inde accuratius eius munus definiatur. Atque si hanc lustrationem cum Platonis praescripto comparaverimus, *πυθόχρηστον* vel alterum Eupatridarum gentis interpretem intellegendum esse statuemus.

Ad eandem sacrae cuiusdam rei lustrationem pertinet titulus IG II suppl. p. 62 n. 198c (eundem v. apud C. Dittenberger SIG ² 136, nunc apud L. Ziehen, Leges Gr. sacrae n. 32). E praescripto huius decreti comperimus propter bellum Amphilochicum feliciter perductum Athenienses statuam Victoriae dedicasse [1]. Hoc monumentum, quod post aestatem anni 425 dedicaverant Athenienses, post medium saeculum quartum reficiendum curaverunt, cum laesum esset tempore longo. Inter annos 350—320 Koehler nostrum titulum incisum esse statuit. Ii qui a populo ad hoc creati erant, post opus perfectum senatum adierunt, ut quid porro faciendum esset constitueret. Ad

[1] Cum ibi Cercyraei quoque commemorentur, quaeritur, num Cercyraeorum optimates ex insula sua expulsi bello illi interfuerint (hac de re v. U. Koehler, Herm. XXVI (1891) 45, qui primus titulum edidit, et A. Behr, Herm. XXX (1895) 447).

nostram rem haec verba spectant: *Πε]ρί τε τῆς θυσία[ς τῆ]ι θε[ῷ] [θῦσαι τὴν ἱέρε]ιαν τῆς Ἀθηνᾶς τὸ ἀρεσ[τήριον ὑπὲρ τοῦ δ]ήμου, [ἐ]πειδὴ ὁ ἐξη[γητὴς . . . . .]ς ἀργύριον τοῦ . . . δήμου δοῦναι . . . ἀναλισκομένων . . . .* Decretum igitur praesertim hoc est, ut deae sacrificium[1] offerretur. Nam si aliquid mutatum erat in aedibus aut aliis rebus consecratis, ne animus dei offenderetur, sacrificium ei offerri solebat (Dittenberger SIG[2] 136). Atque hac de re interpretem consuluerunt, qui ad deam reconciliandam sacrificium illud praescripsit. Hic quoque interpres accuratius non significatur; sed eum e publicis unum esse mihi res in publico consilio tractata probare videtur. Quis hic sit, hac de quaestione idem dicendum est quod in titulo modo laudato.

Has ad rerum lustrationes denique spectat, quod Theophrastus char. 16 de superstitioso dicit: *Καὶ ἐὰν μῦς θύλακον ἁλφιτηρὸν διαφάγῃ, πρὸς τὸν ἐξηγητὴν ἐλθὼν ἐρωτᾶν, τί χρὴ ποιεῖν, καὶ ἐὰν ἀποκρίνηται αὐτῷ ἐκδοῦναι τῷ σκυτοδέψῃ ἐπιρράψαι, μὴ προσέχειν τούτοις, ἀλλ' ἀποτραπεὶς ἐκθύσασθαι.* Nam verbis *ἀποτραπεὶς ἐκθύσασθαι* superstitiosum illum lustrandi offerre sacrificium aperte dicitur. Res ipsa in maius aucta est, ut eo magis illius superstitio cognosceretur. Atque Ottoni Immisch (in Theophrasti editione a philologis Lips. curata 1897 ad h. l.) assentior, qui dicit: *Dieser Zug bekommt erst seine Pointe, wenn man sich vorstellt, dass der δεισιδαίμων nicht zu einem privaten Exegeten geht, sondern ein Mitglied der staatlichen drei Exegetenkollegien mit seiner Bagatelle belästigt.* Sed illum virum doctum sequi non possum, si hunc esse interpretem ex Eumolpidarum gente statuit. Nam ab Eumolpidarum interpretibus talia lustrationis munera suscepta esse non traditur, cum duo alios interpretes eis functos esse pluribus audiamus testimoniis. Articulus hic positus est, quia certum genus scriptor in animo habuerat. Sed utrum *πυθόχρηστος* sit an alter Eupatridarum interpres, hoc quoque loco vix discerni potest.

De hominum expiatione haec reperimus in Platonis

[1] *Ἀρεστήριον* vocatur, ab *ἀρέσκεσθαι* derivatum, quod idem est atque *ἱλάσκεσθαι*, v. Hesych. s. v.

legibus praecepta. IX 865 C: Si quis servum alterius invitus interfecerit, *καθαρμοῖς δὲ χρήσασθαι . . . τούτων δ' ἐξηγητὰς εἶναι κυρίους οὓς ἂν ὁ θεὸς ἀνέλῃ*[1]. IX 871 C: Si consulto quis alium necaverit, ex certa ratione ulciscendus est; *τίνες δ' εἰσὶν οἱ θεοὶ καὶ τίς ὁ τρόπος τῶν τοιούτων δικῶν τῆς εἰσαγωγῆς ὀρθότατα πρὸς τὸ θεῖον ἂν γιγνόμενος εἴη, νομοφύλακες μετ' ἐξηγητῶν καὶ μάντεων καὶ τοῦ θεοῦ νομοθετησάμενοι τὰς δίκας εἰσαγόντων ταύτας.* IX 873 C, D: Si quis affinem ipsum interemerit, *τούτῳ δὴ τὰ μὲν ἄλλα θεὸς οἶδεν ἃ χρὴ νόμιμα γίγνεσθαι περὶ καθαρμούς τε καὶ ταφάς, ὧν ἐξηγητάς τε ἅμα καὶ τοὺς περὶ ταῦτα νόμους ἐπανερομένους χρὴ τοὺς ἐγγύτατα γένει ποιεῖν αὐτοῖσι κατὰ τὰ προσταττόμενα.*

Apud eundem autem Platonem aliam reperimus interpretum mentionem, quo loco et ipso de nece agitur. Est initio Euthyphronis (4 C), ubi Socrates et Euthyphro conveniunt ante tribunal regis, uterque rei iudicialis causa, Socrates quia accusatus est a Meleto, Euthyphro ut ipse accuset patrem suum, *ὅσιον* hoc esse ratus. Hac re Socratem commoveri, ut de pietate verba faciat, notum est. Sed causa, quae ad nostram quaestionem spectat, ita se habet: a Socrate interrogatus, utrum pater eius *ἀλλότριον* an *οἰκεῖον* interfecerit, Euthyphro hoc nihil differre respondet. *Ἴσον γὰρ τὸ μίασμα γίγνεται, ἐὰν συνῇς τῷ τοιούτῳ συνειδὼς καὶ μὴ ἀφοσιοῖς σεαυτόν τε καὶ ἐκεῖνον τῇ δίκῃ ἐπεξιών. ἐπεὶ ὅ γε ἀποθανὼν πελάτης τις ἦν ἐμός, καὶ ὡς ἐγεωργοῦμεν ἐν τῇ Νάξῳ, ἐθήτευεν ἐκεῖ παρ' ἡμῖν. παροινήσας οὖν καὶ ὀργισθεὶς τῶν οἰκετῶν τινὶ τῶν ἡμετέρων ἀποσφάττει αὐτόν. ὁ οὖν πατὴρ ξυνδήσας τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας αὐτοῦ, καταβαλὼν εἰς τάφρον τινά, πέμπει δεῦρο ἄνδρα πευσόμενον τοῦ ἐξηγητοῦ ὅτι χρὴ ποιεῖν. ἐν δὲ τούτῳ τῷ χρόνῳ τοῦ δεδεμένου ὀλιγώρει τε καὶ ἠμέλει ὡς ἀνδροφόνου καὶ οὐδὲν ὂν πρᾶγμα, εἰ καὶ ἀποθάνοι. ὅπερ οὖν καὶ ἔπαθεν. ὑπὸ γὰρ λιμοῦ καὶ ῥίγους καὶ τῶν δεσμῶν ἀποθνήσκει πρὶν τὸν ἄγγελον παρὰ τοῦ ἐξηγητοῦ ἀφικέσθαι.*

Verba accuratius inspicientibus nobis primum quaerendum est, quid sit illud, de quo pater interpretem consulere vult. Conexus sententiarum indicare videtur patrem ex interprete

[1] Quo loco solo *πυθόχρηστοι* certis dicuntur verbis.

quaerere voluisse, quomodo puniendus esset servus. Sed hoc minus cum iure sacro cohaereret. Verisimilius est patrem interrogasse de expiatione interfectoris ipsius atque totius familiae, et tum demum de poenae quoque modo. Sed quis interpres intellegendus est? Primum de privato interprete cogitari non posse puto; nam causa est gravissima, cum pater Naxo ex insula Athenas nuntium mittat atque illius responsum ita desideret, ut sine interpretis iussu nihil faciat. Tum hoc quoque, quod *πευσόμενον τοῦ ἐξηγητοῦ* dictum est, mihi monstrare videtur privatum ullum interpretem intellegi non posse; tum potius dictum esset *ἐξηγητοῦ τινος*. At quis nostrorum publicorum interpretum hic est? Si Platonem ipsum simillimam in legibus commemorare necem meminerimus, si praeterea hunc quoque locum de expiatione esse deliberaverimus, dubium non esse credo, quin *πυθόχρηστος* vel alter Eupatridarum interpres intellegendus sit. Sed quare Plato hic totum eius nomen non addit? Inde fortasse concludendum est non nisi unum interpretem tum fuisse? Mihi nomen accuratum omissum esse videtur, quia qui legebat haec verba non ignorabat, de quo interprete cogitandum esset. Tum si *πυθοχρήστου* et alterius Eupatridarum interpretis hoc officium fuisse arbitramur, Plato omnino non potuit quidquam addere.

His in rebus interpretes maxime ea de causa adhibentur, ut caerimonias commonstrent, quibus et res et homines expientur. Eiusdem autem momenti caerimoniae sunt in sepeliendi ritu; nam et iis, qui mortuum aliquem tetigerunt, opus est lustratione[1]. Quam ob rem in his quoque Plato legg. XII 958D interpretibus singula ordinanda esse praescribit: *Περὶ τελευτήσαντας δέ, εἴτε τις ἄρρην εἴτε τις θῆλυς ἦν, τὰ μὲν περὶ τὰ θεῖα νόμιμα τῶν τε ὑπὸ γῆς θεῶν καὶ τῶν τῇδε, ὅσα προσήκει τελεῖσθαι, τοὺς ἐξηγητὰς γίγνεσθαι κυρίους φράζειν.* Huc id quoque spectat, quod Suidas de interpretibus dicit in alterius definitionis fine: *ἐξηγητὴς ἰδίως ὁ ἐξηγούμενος τὰ ἱερά. ἔστι δὲ καὶ ἃ*[2] *πρὸς τοὺς κατοιχομένους νομιζόμενα*

[1] v. Hesych. s. v. *ἁγνεύειν*, quod verbum explicatur: *καθαρεύειν ἀπό τε ἀφροδισίων καὶ ἀπὸ νεκροῦ.*

[2] Hemsterhusius: *Ἔτι δὲ καὶ τὰ.*

ἐξηγοῦντο τοῖς δεομένοις. Quam definitionem ex Harpocrationis lexico sumpsit, qui fontes quoque suos addit, atque ut in lexico ad oratores conscripto oratores solum testes affert: Ἰσαῖος ἐν τῷ περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου (sequuntur definitionis verba) καὶ Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Εὐέργου καὶ Μνησιβούλου δηλοῖ, πληθυντικῶς τοὺς ἐξηγητὰς πολλάκις ὀνομάζων. Quos libros hodie quoque habemus. Ad illos nunc transeamus necesse est.

Isaei in oratione VIII περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου conscripta agitur mortui Cironis heredum causa, quorum uterque hereditandi ius sibi vindicat. Atque § 38 post mortem Cironis fratris filius funus parat neque a nepote ex filia pecuniam ad sepulturam accipit, ut ipse videatur funus paravisse nepote non adiuvante. Sed ille nihilominus avum sepeliendum curat, συνεποίουν δὲ καὶ συνέθαπτον, ἐξ ὧν ὁ πάππος κατέλιπε τῶν ἀναλωμάτων γιγνομένων. καὶ ταῦτα μὲν οὕτως ἀναγκασθεὶς ἔπραξα τοῦτον τὸν τρόπον. ὅπως δὲ μηδέν μου ταύτῃ πλεονεκτοῖεν, παρ' ὑμῖν φάσκοντες οὐδέν με εἰς τὴν ταφὴν ἀνηλωκέναι, τὸν ἐξηγητὴν ἐρόμενος, ἐκείνου κελεύσαντος ἀνήλωσα παρ' ἐμαυτοῦ καὶ τὰ ἔνατα ἐπήνεγκα, ὡς οἷόν τε κάλλιστα παρασκευάσας, ἵνα αὐτῶν ἐκκόψαιμι ταύτην τὴν ἱεροσυλίαν καὶ ἵνα μὴ δοκοῖεν οὗτοι μὲν ἀνηλωκέναι πάντα, ἐγὼ δ' οὐδέν, ἀλλ' ὁμοίως κἀγώ.

Nepos igitur interpretem adit, ut sciat quid sibi faciendum sit ad avi funus parandum. Haec ad ius sacrum pertinebant, et interpres ei respondet τὰ ἔνατα quoque ei offerenda esse h. s. sacrificia, quae nono post mortem die offerri solebant[1]. Simul ex illa Isaei narratione cognoscimus, quantum ius sacrum cum iure profano cohaereat. Nam ea sententia nepos interpretem consuluit, ut eius responso nisus postea ante iudices se defendere posset[2]. Sed iterum quaerendum est, quis

[1] Talia sacrificia quae ad sepulcrum offerebantur, praeter τὰ ἔνατα etiam τρίτα novimus, v. Isaeum ipsum II 37: Ὡς ἔθαψα τ' ἐγὼ αὐτὸν καὶ τὰ τρίτα καὶ τὰ ἔνατα ἐποίησα.

[2] Qua ex arta iuris sacri cum iure profano apud Graecos cognatione fortasse intellegendae sunt vocis ἐξηγητής explicationes, quas apud Suidam et alios lexicographos reperimus. Ita Suidas in priore vocis definitione scribit: Οἱ τοὺς νόμους τοῖς ἀγνοοῦσιν ὑποδεικνύοντες καὶ διδάσκοντες περὶ τοῦ ἀδικήματος, οὗ ἕκαστος γράφεται. Idem legitur in Etymologico Magno

sit hic interpres. Privatum eum esse mihi refutare videtur res ipsa, praesertim cum eius responsum ante iudices testimonii loco proferatur. Atque cum singularis numerus cum articulo positus sit (de singulari collectivo cogitari non potest), *πυθόχρηστον* vel alterum Eupatridarum exegetam hic intellegendum esse censeo, si simillimum Platonis in legibus testimonium recordamur. De causa, cur orator accuratiorem appellationem non addiderit, hic idem statuendum est quod in Euthyphronis loco.

Ad haec interpretum in sepeliendo officia etiam alterius oratoris locus pertinet, Demosthenis quae dicitur in oratione XLVII 68, 69[1]. Res haec est: Euergus frater Theophemi, cui is, qui in nostra oratione in iudicium vocat, multam ex priore causa debebat, et Mnesibulus affinis eius pro Theophemo multae recipiendae causa ingressi aedes accusantis extulerunt, quidquid instrumenti fuit reliquum in aedibus. Atque nutricem, mulierem admodum senem, quae in domini aedibus habitabat, ita verberaverunt, ut non multum abesset, quin moreretur. Is, qui orationem habet, ab itinere reversus Theophemo denuntiat, ut curetur anus et medicus adducatur; quod cum illi recusavissent, ipse medicum arcessivit, qui curaret eam aegrotantem. Sexto autem die postquam isti in aedes ingressi sunt, obiit nutrix. *Ἐπειδὴ τοίνυν ἐτελεύτησεν, ἦλθον ὡς τοὺς ἐξηγητάς, ἵνα εἰδείην ὅτι με χρὴ ποιεῖν περὶ τούτων, καὶ διηγησάμην αὐτοῖς ἅπαντα τὰ γενόμενα τήν τε ἄφιξιν τὴν τούτων καὶ τὴν εὔνοιαν τῆς ἀνθρώπου, καὶ ὡς εἶχον αὐτὴν ἐν τῇ οἰκίᾳ, καὶ ὡς διὰ τὸ κυμβίον οὐκ ἀφεῖσα τελευτήσειεν. ἀκούσαντες δέ μου οἱ ἐξηγηταὶ ταῦτα, ἤροντό με πότερον ἐξηγήσωνταί μοι μόνον ἢ καὶ συμβουλεύσωσιν. ἀποκριναμένου δέ μου αὐτοῖς ἀμφότερα, εἶπόν μοι· ἡμεῖς τοίνυν σοι τὰ μὲν νόμιμα ἐξηγησόμεθα, τὰ δὲ*

quod dicitur, et in Bekkeri anecd. I 252 hanc invenimus definitionem: *Ἐξηγητής· ὁ τοὺς νόμους ἐξηγούμενος καὶ πᾶν ὁτιοῦν πρᾶγμα.*

[1] Quam orationem non a Demosthene ipso factam et habitam esse viri docti hodie consentiunt. A. Schaefer *Demosth. u. s. Zeit* III[1] (Lips. 1858) *Beil.* V p. 197 haec dicit: *Darüber, dass Demosth. die Rede nicht verfasst habe, sind fast alle Gelehrten von H. Wolf an einig.* Ipse eam ab Apollodoro confectam esse putat. V. etiam Fr. Blaß *Att. Beredsamk.* III 1[2] (Lips. 1893) p. 546. Itaque Demosthenici certe temporis testimonium nos hic habere veri simile est.

σύμφορα παραινέσομεν, πρῶτον μὲν ἐπενεγκεῖν δόρυ ἐπὶ τῇ ἐκφορᾷ καὶ προαγορεύειν ἐπὶ τῷ μνήματι, εἴ τις προσήκων ἐστὶ τῆς ἀνθρώπου, ἔπειτα τὸ μνῆμα φυλάττειν ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας. τάδε δὲ συμβουλεύομέν σοι, ἐπειδὴ αὐτὸς μὲν οὐ προσεγένου, ἡ δὲ γυνὴ καὶ τὰ παιδία, ἄλλοι δέ σοι μάρτυρες οὐκ εἰσίν· ὀνομαστὶ μὲν μηδενὶ προαγορεύειν, τοῖς δεδρακόσι δὲ καὶ κτείνασιν, εἶτα πρὸς τὸν βασιλέα μὴ λαγχάνειν. οὐδὲ γὰρ ἐν τῷ νόμῳ ἔστι σοι· οὐ γάρ ἐστιν ἐν γένει σοι ἡ ἄνθρωπος οὐδὲ θεράπαινα, ἐξ ὧν σὺ λέγεις. Οἱ δὲ νόμοι τούτων κελεύουσιν τὴν δίωξιν εἶναι, ὥστ' εἰ διομεῖ ἐπὶ Παλλαδίῳ αὐτὸς καὶ ἡ γυνὴ καὶ τὰ παιδία, καὶ καταράσεσθε αὐτοῖς καὶ τῇ οἰκίᾳ, χείρων τε δόξεις πολλοῖς εἶναι, κἂν μὲν ἀποφύγῃ σ', ἐπιωρκηκέναι, ἐὰν δὲ ἕλῃς, φθονήσει. ἀλλ' ὑπὲρ σεαυτοῦ καὶ τῆς οἰκίας ἀφοσιωσάμενος ὡς ῥᾷστα τὴν συμφορὰν φέρειν, ἄλλῃ δὲ εἴ πῃ βούλει, τιμωροῦ.

Quo e loco primum optime omnium cognoscimus, quomodo interpretes ius sacrum interpretati sint, quanta dignitate, ut magistratuum est, consulenti responderint. Atque apparet eos accurate discernere inter interpretationem ipsam et consilium (*πότερον ἐξηγήσωνται ἢ καὶ συμβουλεύσωσιν*). Cum interpretatio solum ad ius sacrum pertineat, consilia ad ius profanum spectare elucet. Itaque interpretatio est de sepulturae caerimoniis: suadent ei interpretes primum, ut efferendae mulieri hastam praeferat. Nam iis qui vi interfecti erant, hastam praeferre veteres solebant, ut hoc signum esset ultionis[1]. Deinde praescribunt, ut ad sepulcrum proclamando edicat, si quis mulieri sit cognatus, denique ut sepulcrum ad triduum custodiat. Ab hac iuris sacri interpretatione aperte secernuntur, quae consilia sunt interpretum. Haec consilia maxime ad causam ipsam agendam pertinent: persuadent ei, ne huius criminis illos accuset, cum secundum leges hoc ei permissum non sit neque testes ei sint, qui eum adiuvent. Sed hoc quoque videmus fidem, quam interpretum consiliis habet, non tantam esse; nam prius quam eorum consilia sequitur, amicos consulit (§ 71: *ἐβουλευόμην μετὰ τῶν φίλων ὅ τι χρή με ποιεῖν*).

Sed iterum quaerendum est, qui sint hi interpretes, qui

[1] v. Poll. VIII 65 et Pauly-Wissowa *Realenc.* s. v. *Bestattung* (Mau) III p. 337, lin. 23.

hoc solo apud scriptores loco in plurali numero reperiuntur[1]. Non unum solum fuisse verba certe testantur. Si *πυθοχρήστους* aliosque interpretes collegium fuisse crederemus, quod olim putaverunt viri docti, pluralis facile explicari posset. Sed verisimilius unum generis cuiusque interpretem fuisse supra demonstravimus. Quam ob rem mihi pluralis optime ita explicari videtur, ut duos illos interpretes hic dici assumamus, qui maxime inter se cognati sunt, gentis Eupatridarum *πυθόχρηστον* et a populo electum interpretem. Nam Eumolpidarum interpres hic locum non habet, cum eum quoque de sepulturae caerimoniis interpretatum esse nusquam tradatur. De *πυθοχρήστῳ* autem ex Platone hoc scimus, atque ex eis, quae hac de re dicta iam sunt, etiam ad alterum Eupatridarum interpretem bene deferri potest. Sed ex Demosthenis verbis plura colligere licet. Si *ἦλθον ὡς τοὺς ἐξηγητὰς* dici potest, eorum officia re vera non diversa fuisse inde sequitur, aut certe eos collegium fecisse, ut nihil interesset, utrum eorum homines adirent.

Non in sepeliendo solum, sed in aliis quoque rebus sacris interpretes caerimonias commonstrare reperiemus, ita ut eos omnino caerimonias, quae ad rem sacram pertinent, interpretatos esse concludi possit. Nam hae quoque caerimoniae, etiamsi plurimae earum cum lustratione cohaerere non videntur, ex hac lustrandi ratione ortae sunt[2].

Commemorantur a Platone legg. VII 775 A ea interpretum officia, quae pertinent ad nuptiarum solemnia, de quibus Plato eos consulendos esse poscit: *Ὅσα δὲ προτέλεια γάμων ἤ τις ἄλλη περὶ τὰ τοιαῦτα ἱερουργία μελλόντων ἢ γιγνομένων ἢ γεγονότων προσήκουσά ἐστι τελεῖσθαι, τοὺς ἐξηγητὰς ἐρωτῶντα χρὴ καὶ πειθόμενον ἐκείνοις ἕκαστον ἡγεῖσθαι πάντα ἑαυτῷ μετρίως γίγνεσθαι.* Et quantum in ipsis nuptiis in antiquitate quoque caerimoniae valuerint, omnibus notum est.

Si porro quid in Platonis legibus de interpretum officiis

[1] Idem Harpocratio animadvertit, si de Demosthene dicit: *Πληθυντικῶς τοὺς ἐξηγητὰς πολλάκις ὀνομάζων.*

[2] V. quae Eugen Fehrle de *ἁγνεία* voce disputavit in diss. Heidelb. 1908 *Die kultische Keuschheit im Altertum* p. 42 sqq., v. collectionis quae inscribitur *Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten* vol. VI.

tradatur, perquirimus, primum afferendus est locus VIII 828 B, ubi statuitur interpretes cum sacerdotibus et aliis rei sacrae ministris de sacris anni diebus interrogandos esse. Atque fastorum sacrorum cognitionem partem esse muneris interpretum, mirum non est, si totius iuris sacri eos esse interpretes constat. Aliud huius rei testimonium hoc esse potest, quod a scriptoribus, quos exegetas fuisse verisimile est, tales scripti sunt libri, quibus haec materia tractata videtur. Ita Philochorum [1] *περὶ ἡμερῶν* librum scripsisse traditur, atque eiusdem et Habronis [2] *περὶ ἑορτῶν* liber commemoratur.

Cum fastis autem sacris arte coniuncta est cognitio caerimoniarum, quae in singulis anni diebus observandae sint. Inter omnia in sacrificiis rite offerendis interpretes consultos fuisse consentaneum est. Hoc quoque eo demonstratur, quod in librorum exegeticorum fragmentis saepius de sacrificiorum ratione disseritur. V. Anticlidis fr. 17 (Mueller, fr. script. de rebus Alex. M. p. 150), ubi *προκώνια* sacrificia quibus ex rebus composita sint dicitur. V. eiusdem fr. 20, ubi *ἀλευροῦντες*, placentae genus, commemorantur [3].

Interpretes ut caerimoniarum peritissimi in aliis quoque rebus nobis occurrunt. Ita si simulacrum aliquod deorum collocandum est, interpretis opus est consilio. Quod testatur Athenaeus, qui ex Anticlidis exegetico libro tale praeceptum affert de Iovis Ctesii simulacris consecrandis (XI 473).

In omnibus causis adhuc allatis Eupatridarum inter-

---

[1] Fr. v. Muellerum FHG I 384. [2] v. Steph. Byz. s. v. *Βάτη*.

[3] Interpretes imprimis sacrificia rite offerenda curasse alterius quoque civitatis testimonio probatur. Exegetae enim, quos Olympiae reperimus, eodem munere fungi videntur. Pausanias de eis dicit (V 15, 6): *Μέλει δὲ τὰ ἐς τὰς θυσίας θεηκόλῳ τε, ὃς ἐπὶ μηνὶ ἑκάστῳ τὴν τιμὴν ἔχει, καὶ μάντεσι καὶ σπονδοφόροις, ἔτι δὲ ἐξηγητῇ τε καὶ αὐλητῇ καὶ τῷ ξυλεῖ.* Pausaniae testimonium optime confirmatur titulis nonnullis Olympiae repertis (*Olympia* descr. E. Curtius et F. Adler V (Berol. 1896) tit. 59, 61, 62 eqs.). Ibi item inter eos, quibus sacrificia mandata sunt, exegetae nominantur prioribus quidem temporibus, cum tempore posteriore in titulis inveniamus pro *ἐξηγητής* formam *περιηγητής* (tit. 77, 9; 83, 2; 110, 17; 120, 10), quam ad rem Dittenberger adnotat (adnot. ad tit. 59, p. 141): *Vereinzelte, wohl durch den populären Sprachgebrauch veranlasste Nachlässigkeit ist es, wenn für den sonst überall festgehaltenen Titel ἐξηγητής viermal περιηγητής geschrieben ist.*

pretes re vera ius sacrum interpretantur; nam aut de lustrationibus et expiationibus aut de caerimoniis res erat. Nunc nonnulla afferenda sunt, quae cum iuris sacri interpretatione minus arte cohaerent atque tamen ad horum interpretum officium pertinere videntur. Atque primum quidem perquirendum est, qui intercedat conexus inter eos et ephebos Atticos. Habemus enim titulos epheborum, ubi et interpretes reperiuntur. Tit. I 5 (supra p. 4) est catalogus epheborum, qui pythaïdem Delphos duxerunt (*ἀγαγόντες τὴν Πυθαΐδα*) archonte Athenis Dionysio *μετὰ Δυκίσκον* (ca. 128 a. Chr.). Atque inter magistratus qui primi nominantur, cum duces epheborum fuerint vel certe eorum munera ad ephebos pertinuerint, reperitur etiam *πυθόχρηστος ἐξηγητής* Ophelas Habronis filius. *Πυθόχρηστον* interpretem hic solum nominari mirum non est, cum in legatione ad Apollinem Pythicum mittenda is prae omnibus locum habeat. At quid est, quod *πυθόχρηστον* cum ephebis coniungat? Hac de re certi nihil dici potest, cum testimonia nobis desint; sed quod Colin suspicatur, valde placet: interpreti huic mandatum fuisse, ut pompas sacras et sacrificia ab ephebis rite perficienda curaret (Colin l. s. p. 78).

Sed in aliis quoque epheborum titulis interpretes reperiuntur. Tituli IV 1 (p. 11) sunt honorum decreta, quibus ephebi collaudantur propter eorum in pompis sacris curam et diligentiam. Ut amplissimum titulum IG II 467 eligo (= SIG² 521); sed omnes inter se sunt simillimi atque eiusdem fere aetatis [1]. Ibi in initio hoc legitur: *Ἐπὶ Μηδείου ἄρχοντος· ... ἐπειδὴ οἱ ἔφηβοι ... θύσαντες ἐν ταῖς ἐγγραφαῖς ἐν τῷ πρυτανείῳ ἐπὶ τῆς κοινῆς ἑστίας τοῦ δήμου καὶ καλλιερήσαντες μετὰ τοῦ κοσμητοῦ καὶ τοῦ ἱερέως τοῦ δήμου καὶ τῶν Χαρίτων καὶ τῶν ἐξηγητῶν ἐπόμπευσάν τε τῇ Ἀρτέμιδι τῇ Ἀγροτέρᾳ ἐν ὅπλοις, ἐποιήσαντο δὲ καὶ τὴν ὑπαπάντησιν τοῖς ἱεροῖς ἐν ὅπλοις καὶ προέπεμψαν αὐτά κτλ.* Ephebi laudantur, quod sacrificia offerebant debita in ara populi et omnino sacra rite faciebant una cum cosmeta et sacerdote populi et Gratiarum [2] et interpretibus. Inde quae

[1] Koehler in Corpore inscriptionum litterarum speciem aetatem haud nimis recentem indicare statuit, atque Medeum illum archontem anni 100/99 a. Chr. fuisse nunc scimus (v. C. Dittenberger SIG² 521).

[2] In theatri sella hic nominatur: *Ἱερέως δήμου καὶ Χαρίτων καὶ Ῥώμης.*

officia interpretes his in sacris pompis atque sacrificiis habuerint, statim apparet. Sed qui interpretes intellegendi sunt? Varia ibi sacra nominantur ab ephebis celebrata atque lin. 48 *εὐσεβείας ἕνεκα τῆς πρὸς τοὺς θεούς* collaudantur, ut omnes dei intellegendi sint. Quam ob rem *ἐξηγηταί* quoque videntur esse omnes tres, quos Athenis novimus publicos interpretes. Qui initio tituli una commemorantur, sed in singulis sacris faciendis singuli interpretes officia sua praestiterunt eodem modo, quo *πυθοχρήστους* solos in pythaide egisse supra vidimus.

Nunc ea Eupatridarum interpretum munera afferenda sunt, quibus ut proprii dei Delphici ministri fungebantur. Oraculi Delphici auctoritate plurimas colonias si non emissas, at certe sancitas fuisse constat[1], atque vaticiniis hoc saepe factum esse exemplis comprobatur. Itaque mirum non est interpretem *πυθόχρηστον* et ipsum his factis interesse. Et reperimus re vera talem interpretem, qui coloniae condendae summam operam dederit. Lamponem dico interpretem artissime cum Thuriis condendis coniunctum, de quo primum pauca verba facere liceat[2].

Lamponem temporibus Periclis, cuius amicus fuit[3], magna fuisse in civitate auctoritate atque saepius publicis rebus interfuisse nobis traditur. Ita e Thuc. V 19, 1 et 24, 1 comperimus eum in pacem cum Lacedaemoniis a. 421 factam et paulo post in foedus cum eisdem ictum iurasse, quibus duobus locis primus nominatur, certe quia rei sacrae est minister. Eum tum celeberrimum fuisse optime eo demonstratur, quod in comoedia Attica saepius ridetur; atque ex Aristophanis Avibus omnes eum novimus. Sed item a Cratino ridetur[4] et ab Eupolide[5]; praeterea ab Antiphane celeberrimo mediae comoediae poeta fabulam *Λάμπων* conscriptam fuisse traditur[6], quam ad vatem illum spectare, etsi Meinekius negat, verisimile est.

Sed quo munere Lampon Athenis functus est? E Plutarchi loco (Per. 6) comperimus eum vatem fuisse. Periclem de

[1] v. Schoemann-Lipsium *Griech. Alt.* II[4] 47.
[2] De eo v. J. Kirchner, Prosop. Att. 8996.
[3] Plut. Per. 6; Aristot. rhet. III 18. [4] Fr. 62 K.
[5] Fr. 297 K. [6] Kock II p. 68.

prodigio quodam Lamponem *μάντιν* et Anaxagoram interrogasse atque Lamponem ei vaticinatum esse eum Thucydide expulso omnem potentiam in se collaturum esse. Sed accuratius eius munus indicatur in Eupolidis fragmento 297, quod est ex fabula *Χρυσοῦν γένος* inscripta. Hic enim audit *Λάμπων οὐξηγητής*, et a grammatico additur: *μάντις γὰρ ἦν καὶ χρησμοὺς ἐξηγεῖτο*. Quod confirmatur scholio ad Aristoph. Nub. v. 332 adscripto: *Λάμπων ὁ μάντις ὃν ἐξηγητὴν ἐκάλουν*. Interpres igitur fuit, atque si recordamur eius in re publica auctoritatem, dubium esse non potest, quin magistratus fuerit, non privatus interpres. Eum quoque cibo in prytaneo donatum esse scimus e scholio ad Aristoph. Av. v. 521 adscripto (*ἔτυχε δὲ καὶ τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως*) et ad Pac. v. 1084 (*ὅτι καὶ οἱ χρησμολόγοι μετεῖχον τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως, δῆλον ἐκ τοῦ Λάμπωνος ὃς τούτου ἠξιῶτο*). R. Schoell[1] inde et e titulo I 4 (v. supra p. 4) conclusit omnes hos interpretes talis honoris participes fuisse, quae sententia valde arridet[2].

Cui autem interpretum generi Lampon attribuendus sit, nescimus. Nam Eupolis in versu plenum officii nomen certe addere non potuit et scholia, quae alteri huius rei testes sunt, tam accurate rem nusquam indicant. Itaque ex solis eius factis hoc concludendum nobis est. Atque primum eum Thurios coloniam eduxisse narratur[3]. Lamponem ipsum conditorem fuisse tradit Diod. XII 10: *Ἀθηναῖοι . . . δέκα ναῦς πληρώσαντες ἀπέστειλαν τοῖς Συβαρίταις, ὧν ἡγεῖτο Λάμπων τε καὶ Ξενόκριτος*, et Plut. reip. ger. praec. c. 15: *Λάμπωνα Περικλῆς Θουρίων οἰκιστὴν ἐξέπεμψεν*. Item scholium Aristoph. Nub. 332: *ἐπέμφθησαν δὲ δέκα ἄνδρες, ὧν καὶ Λάμπων ἦν*. Denique Suidas afferendus est, qui s. v. *Θουριομάντεις* scholium hoc ad verbum fere secutus addit Lamponem colonos comitatum esse, ut interpres esset novae urbi (*ἐξηγητὴς ἐσόμενος τῆς κτίσεως τῆς πόλεως*). Ipsum etiam in comitiis non desiisse coloniam

[1] Herm. VI (1871) 36; XXII (1887) 564. [2] v. supra p. 21.

[3] Hanc coloniam anno 444/3 conditam esse nunc consentiunt viri docti; contra Diod. XII 10, qui anno 445 eam conditam esse tradit, rectam aetatem praebent Dion. Hal. Lys. I p. 452 et [Plut.] vit. decem or. p. 835 (hac de quaestione v. G. Busolt *Griech. Gesch.* III 1 Gotha 1897 p. 523 adn. 3 et R. Pappritz *Thurii*, diss. Berol. 1891 p. 7 sqq.).

emittendam commendare dicit scholium Aristoph. Nub. 332: *λόγους δὲ συνεχῶς εἰσάγειν ἐφαίνετο περὶ τῆς εἰς Θούριον ἀποικίας.* Quam ob rem Lamponem, qui postea certe *ἐξηγητής* erat[1], etiam tum hoc munere functum esse crediderim, quamquam negat Pappritz l. s. p. 23 tantum spatii interesse ratus, ut anno 443 Lamponem nondum illum magistratum adiisse verisimile sit. Sed equidem Busoltio[2] assentior. Si Lamponem postea quidem interpretem fuisse traditur, si eum huic coloniae condendae summam operam dedisse certum est, cur non tum quoque eum interpretis munere functum esse putabimus? Ex eadem re hoc quoque mihi colligi posse videtur, cui interpretum generi eum attribuere debeamus. Apollinem Pythicum, quem in coloniis condendis semper consultum esse constat, hic quoque vaticinium edidisse certis traditur verbis. Tum sane verisimile est Lamponem hoc oraculum interpretatum esse atque, qua erat tum auctoritate, nihil impedit, quin *ἐξηγητὴν πυθόχρηστον* eum fuisse statuamus. Atque hac de causa colonos comitatus esse videtur, ut novae urbi leges sacras daret et interpretaretur, eodem modo quo Plato in civitate sua interpretibus hoc officium mandat.

Sed aliud quoque de Lamponis magistratu testimonium habemus. In Eleusinio illo titulo II 6 (v. supra p. 9) longum de primitiis decretum sequitur additamentum Lamponis, quo postquam de decreto in columnis insculpendo et collocando solita dicta sunt, Lampon rogationem fert, ut alter Hecatombaeon mensis intercaletur, deinde ut Pelargici templa a rege accurate saepiantur neve novae in eo arae sine senatus populique iussu instituantur neve lapides et terra inde exportentur. Denique Lamponi ipsi mandatur, ut de oleo primitiarum legem ad senatum ferat. Haec omnia

[1] Eupolidis *Χρυσοῦν γένος* post Sphacteriam expugnatam et ante Cleonis mortem actum est, Kock I p. 333.

[2] *Griech. Gesch.* III 1 p. 530 adn. 1, etiamsi decretum illud Eleusinium, quod Busolt testimonium affert, anni 444 non est, v. supra p. 9. Aliam autem afferam causam. Apud Diod. l. s. perspicue traditum est colonos illos Apollinis Delphici vaticinium secum habuisse, quo locus, ubi urbs condenda esset, designaretur (. . *λαβόντων χρησμὸν παρὰ τοῦ Ἀπόλλωνος, ὅτι δεῖ κτίσαι πόλιν αὐτοὺς ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ὅπου μέλλουσιν οἰκεῖν μέτριον ὕδωρ πίνοντες, ἀμετρῆ δὲ μᾶζαν ἔδοντες*).

ad interpretis officia optime quadrare videmus. Sed quaeritur, cuinam interpreti haec decreta aptissima sint. Atque primo visu certe nemo est, quin arbitretur Lamponem ut ἐξηγητὴν ἐξ *Εὐμολπιδῶν* decreto, quod est de primitiis Eleusiniis, hanc legem addere. Sed qualis conexus inter hoc additamentum et decretum ipsum sit, facile non est intellectu, atque viri docti diversas iam hac de re protulerunt sententias. Propterea singula adeamus necesse est.

Perspicuum est primum de mense intercalando praeceptum. Mensis hic ante Boedromionem intercalatur ea de causa, ut dies primitiarum deabus offerendarum proferatur, cum etiam exterae civitates primitia offerre iussae sint. Atque cum interpretum *πυθοχρήστων*, ut supra diximus, officium sit de fastis sacris necessaria instituere, etiam hoc a *πυθοχρήστου* munere non abhorret. Quod de Pelargico dicitur, hoc quoque Apollinis Delphici iussu praecipi videtur. Nam apud Thuc. II 17, 1 narratur initio belli Peloponnesiaci in Pelargico ipso hominum domicilia fuisse et ita antiquum oraculi Pythici *ἀκροτελεύτιον*, quod homines in Pelargico habitare vetuerit, prorsus neglectum esse. Quam ob rem Dittenberger quoque *ἀκροτελεύτιον* illud, quod Thucydides affert, in eo oraculo fuisse putat, „quod huic toto plebiscito ansam dedit“ (SIG ² 20). Sed Ludovico Ziehen (leges Graec. sacrae p. 22) concedendum est verborum Thucydidis tenorem atque conexum ostendere, oraculum illud antiquissimum fuisse, atque P. Wolters recte, ut mihi videtur, animadvertit (in commentario A. Koerti *Das Heiligtum des Amynos, Mitteilungen des arch. Inst. Athen. Abt.* XXI (1896) 330 adn. 3) eadem verba una tantum littera mutata recurrere in oraculo de Megara urbe edito[1], ut *ἀκροτελεύτιον* nostrum inde derivatum videatur. Atque tamen Thucydidis verba mihi demonstrare videntur Pelargici curam magis penes Pythicum Apollinem fuisse quam penes sacerdotes Eleusinios, quod L. Ziehen defendit.

Qua autem ratione tum additamentum cum Eleusinio decreto coniungendum sit, difficile esse dictu concedo. Sed hanc ipsam legem oraculi Delphici iussu rogatam esse Foucart con-

[1] Anth. Pal. XIV 73: *Γαίης μὲν πάσης τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἄμεινον.*

iecit (*Bull. de Corr. Hell.* IV (1880) 225 sq.) atque Dittenberger assensus est (SIG[2] 20). Ter enim in decreto legimus (lin. 4/5, 26, 34): *Ἀπάρχεσθαι τοῖν θεοῖν τῶ καρπῶ κατὰ τὰ πάτρια καὶ τὲν μαντείαν τὲν ἐγ Δελφῶν.* Quae verba certe ad oraculum aliquod spectant neque solum, quod L. Ziehen obloquitur, „unam formulam efficiunt, qua quid et antiquitus et divinitus commendatum sit praedicetur". Quam ob rem equidem crediderim totum plebiscitum si non Pythici oraculi iussu, at certe eius auctoritate factum esse, atque quod in additamento nulla omnino oraculi ac formulae mentio fit, quae Ludovico Ziehen contra hanc sententiam gravissima videtur causa, nihil valere puto, cum in additamento hoc non opus fuerit. Denique quod de oleo dictum est, Foucart coniecit dubitationem ortam esse, utrum praeceptum dei Delphici etiam ad oleum pertineret necne; quam ut discutiat, Lamponi propter iuris sacri scientiam et usum mandari (v. C. Dittenberger l. s.).

Itaque haec quoque omnia non abhorrere ab interprete videmus, qui in dei Delphici cultu versatur, neque dubito Sauppio assentiri, qui dicit (Attica et Eleusinia, progr. Gotting. 1880/81 p. 15): „coniectura habet, quo se tueatur, Lamponem *ἐξηγητὴν πυθόχρηστον* fuisse". Nam etsi res ipsa ad Eleusinium cultum solum spectabat, tamen summi momenti erat non solum in Atheniensium re publica, sed etiam in tota Graecia, ut cum vestigia quoque exstent, quae ad Pythicum oraculum respiciant, Lamponem ut *πυθόχρηστον ἐξηγητήν* illi contioni interfuisse veri sit simillimum.

Quaestione de Lampone absoluta de Hierocle[1] pauca dicenda sunt, cum Lamponi aequalis sit atque simillimo munere videatur functus esse. Atque R. Schoell[2] utrumque eodem tempore *πυθόχρηστον* fuisse contendit, quod si verum est, *πυθοχρήστους* collegium fuisse negari non potest. Est ille, quem esurientem hariolum Aristophanes in Pace irridet. In scholio ad Pac. v. 1046 legitur: *Ἱεροκλῆς· οὗτος μάντις ἦν καὶ χρησμολόγος, τοὺς προγεγενημένους χρησμοὺς* (ita Schoell pro *χρόνους*) *ἐξηγούμενος.* Quibus verbis quamquam *ἐξηγητής* non vocatur, tamen *ἐξηγούμενος* verbo interpretis munus indicari

[1] v. J. Kirchner, Prosop. Att. 7473. [2] Herm. XXII (1887) 563.

videtur. Huc alia accedunt. Hieroclem in rebus publicis versatum esse negari non potest. Nam praeterquam quod in comoedia ridetur, reperimus eum in titulo IG I suppl. 27a, quo decretum de Chalcidensium societate renovanda (a. 446/5) continetur. Ibi lin. 64 de eo dicitur: *Τὰ δὲ ἱερὰ τὰ ἐκ τῶν χρησμῶν ὑπὲρ Εὐβοίας θῦσαι ὡς τάχιστα μετὰ Ἱεροκλέους τρεῖς ἄνδρας οὓς ἂν ἕληται ἡ βουλὴ σφῶν αὐτῶν.* Tum quoque in Hestiaea ad Oreum colonia condenda operam dedisse videtur; nam in Eupol. fr. 212 Kock et Aristoph. Pac. v. 1046 et 1125 audit *Ὁ χρησμολόγος οὐξ Ὠρεοῦ* vel *ὁ κόραξ ὁ ἐξ Ὠρεοῦ*. Pappritz (*Thurii* p. 24) etiam inde, quod secundum Aristoph. Pac. v. 1084 in prytaneo cibo donatus fuit, causam sumit *ἐξηγητήν* eum dicere. Eum autem *πυθόχρηστον* haberi nullo testimonio confirmatur. Cum publicum eum interpretem fuisse propter res ab eo gestas reiciendum non sit, alter Eupatridarum interpres habendus est.

Delphicum oraculum per exegetas suos rebus quoque publicis interfuisse e Lamponis et Hieroclis exemplis cognovimus. Sed hanc oraculi auctoritatem non tantam fuisse neque ad alia nisi ad sacra ipsa pertinuisse Schoemann-Lipsius (*Griech. Alt.* II[4] 453) summo certe iure contendit. Sed unum restat ut afferamus, qua in re hi interpretes et in privatis et in publicis alicuius certe momenti fuerunt, interpretationem dico oraculorum ipsorum. Nam eos huic rei maxime operam dedisse Schoemann-Lipsius II[4] p. 49 recte suspicatur. Quamquam enim hoc omnibus permissum esse concedendum est, tamen obscura Delphici oraculi vaticinia proprium saepe interpretem desiderabant. Quod testantur nobis Ciceronis verba de div. I 51, 116: „Item igitur somniis, vaticinationibus, oraculis, quod erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitae sunt interpretum“. Atque de Phalantho Lacedaemonio Tarenti urbis conditore Pausanias X 10, 7 dicit: *Τὸ μὲν δὴ παραυτίκα οὔτε ἰδίᾳ τὸ μάντευμα ἐπισκεψάμενος οὔτε πρὸς τῶν ἐξηγητῶν τινὰ ἀνακοινώσας κατέσχε ταῖς ναυσὶν εἰς Ἰταλίαν.*

Sed hac in re iam non sunt iuris sacri interpretes, atque *μάντεις* et *χρησμολόγοι* qui dicuntur eadem in re versantur. Perducimur hac re ad aliam quaestionem, num et privati

ἐξηγηταί statuendi sint, quam quaestionem hic statim adeamus liceat. Nonnulla habemus testimonia, quae et privatos interpretes ἐξηγητάς appellatos esse probare videntur. Apud Pausaniam V 23, 6 (*τεράτων καὶ ἐνυπνίων ἐξηγηταί*) dicuntur ita prodigiorum et somniorum interpretes, quorum ipsa oracula afferuntur I 34, 4 (*τῶν ἐξηγητῶν χρησμοὺς ἐν ἑξαμέτρῳ*). Eodem sensu Pollux VII 188 voce uti videtur, qui inter *ἀγύρται, μάγοι, γόητες, καθαρταί* eos enumerat[1], atque idem dicunt eiusdem verba VIII 124: *ἐξηγηταὶ δ' ἐκαλοῦντο οἱ τὰ περὶ τῶν διοσημείων καὶ τὰ τῶν ἄλλων ἱερῶν διδάσκοντες*, itemque Hesychius vocem explicat: *ἐξηγητής· ὁ περὶ ἱερείων καὶ διοσημιῶν ἐξηγούμενος*. Ita verbo quoque ἐξηγεῖσθαι multi utuntur, si de vatibus vaticinia interpretantibus verba faciunt, ut scholium ad Aristoph. Pac. v. 1031 adscriptum: *Μάντις τῶν τοὺς παλαιοὺς χρησμοὺς ἐξηγουμένων*. Quibus e locis elucet etiam eos omnes, qui oracula et prodigia interpretati sint, exegetas nominatos esse neque diversos fuisse ab iis, qui *μάντεις* et *χρησμολόγοι* appellati privatim singulis oracula explicabant. Sed hoc animadvertendum est locos supra laudatos omnes inde a Pausania demum inveniri, ut hic vocis usus posterioribus temporibus videatur adscribendus esse. Et re vera omnes quos priorum aetatum exegetas repperimus, publicos fuisse demonstrari potest[2]. Itaque concludendum est voce ἐξηγητής non nisi in publico interprete optimis quidem temporibus Athenienses usos esse, atque omnes, qui privati prodigia vel oracula interpretabantur, *μάντεις* vel *χρησμολόγους* appellatos esse.

[1] Desunt autem apud eundem I 14, quamquam ibi *θεῶν θεραπευταί* afferuntur, inter quos *τελεσταί, μάντεις, καθαρταί, χρησμῳδοί, χρησμολόγοι*.

[2] Lampon, quem Eupolis *ἐξηγητήν* appellat, magistratus est; S. Reinach *Dictionnaire des antiquités gr. et rom.* s. v. *Exégètes* iniuria illum huic interpretum generi adnumerat. Idem statuendum est de exegeta, quem Theophrastus (char. 16) commemorat, de quo Reinach ipse dubitat, utrum privatus sit an publicus.

De Eumolpidarum interpretibus

Eumolpidarum gentem arte cum Eleusiniis sacris cohaerere notissimum est. Itaque huius gentis interpretes his in sacris officia praestant. Quod optime nobis probatur honorum decreto[1], quo *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος* Medeum *τὸν ἐξηγητὴν ἐκ τοῦ γένους τοῦ Εὐμολπιδῶν* deabus Eleusiniis dedicaverunt propter pietatem erga deas et officia facta *περὶ τὴν ἐξήγησιν τῶν ἱερῶν καὶ πατρίων*.

Propter artum hunc gentis cum Eleusiniis sacris conexum, quem fuisse iam constat antequam Eleusis cum Athenis coniuncta esset, etiam hoc interpretum munus vetustissimum esse consentaneum est. Sed verum est primum Eumolpidarum interpretes commemorari anno 329/28 a. Chr.[2]. Antea in universum solum de gentis iure leges sacras interpretandi verba fiunt in titulo illo belli Peloponnesiaci temporibus inciso (supra II 6), ut proprii ad hanc rem magistratus exstitisse non videantur. Atque re vera negari non potest totam gentem hoc interpretandi ius habuisse. Hoc mihi elucere videtur praeter huius tituli mentionem ex [Lysiae] verbis (*κατ' Ἀνδοκίδου* 10): *μὴ μόνον χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις νόμοις . ., ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀγράφοις, καθ' οὓς Εὐμολπίδαι ἐξηγοῦνται*, et ex Andocidis narratione (I 116), in qua et ipsa de interprete nihil dicitur. Ac tamen Eumolpidarum interpretes iam tum fuisse crediderim, cum qua de causa quarto demum saeculo novi instituti sint non intellegam.

[1] v. supra II 3. [2] v. supra II 1.

At aliud dubitationem movit. In illa prima interpretum commemoratione dicuntur *ἐξηγηταὶ Εὐμολπιδῶν*, non *ἐξ Εὐμολπιδῶν*, quod nomen, si interpretum *ἐξ Εὐπατριδῶν* appellationem respicimus, hic desideratur. Hoc modo demum circa annum centesimum a. Chr. interpretes illi nominantur[1]. Et quaestio est, num *ἐξηγηταὶ Εὐμολπιδῶν*, qui in illo titulo nominantur, iidem sint atque *ἐξηγηταὶ ἐξ Εὐμολπιδῶν* ceteroquin noti.

Iam Nowossadski[2] duas has nominis formas distinxit, sed ei quod inde conclusit, certe J. Toepfferum secutus nemo assentietur. Putat enim omnes, qui quidem gentis Eumolpidarum fuerint et mystagogi vulgo vocati sint, etiam *ἐξηγητὰς ἐξ Εὐμολπιδῶν* appellatos esse, cum *ἐξηγηταὶ Εὐμολπιδῶν* proprii fuerint gentis interpretes. Eandem inter utramque formam distinctionem P. Foucart[3] recepit, sed multo melioribus de causis. Habemus enim catalogum magistratuum Eleusiniorum[4] (tit. IV 2, supra p. 11), ubi inter alios hi enumerantur:

ἐξηγητής · διπλῆν
ἐξηγηταὶ τρεῖς · διπλᾶς

Quo autem modo miram hanc inter tres et unum distinctionem explicemus? Primo certe visu nemo est, quin arbitrari velit hos tres exegetas optime convenire cum tribus illis, quos e Timaeo novimus. Sed quid tum de uno interprete, qui antecedit? Non possumus non statuere duo haec genera interpretum esse, quorum utrumque ad Eleusinia mysteria pertinere necesse est. Atque P. Foucart (l. s.) hoc modo rem explicavit. Secundum eum interpres, qui unus est, intellegendus est is, quem unum esse e ceteris quoque titulis cognoscimus. Est ille *ἐξ Εὐμολπιδῶν* interpres, qui eiusdem fere ordinis est atque *πυθόχρηστος* et exegeta *ὑπὸ τοῦ δήμου καθεσταμένος*. Tum si qui *ἐξηγηταὶ τρεῖς* sint circumspicimus, nulli restant nisi *ἐξηγηταὶ Εὐμολπιδῶν* in illo quarti a. Chr.

[1] v. supra tit. II 2. [2] v. J. Toepffer *Att. Gen.* p. 71 adn. 1.
[3] *Les grands mystères d'Éleusis* p. 81.
[4] Catalogus est aetatis Severorum. Cuius prima parte continetur testamentum de donariis Eleusinio delubro faciendis a Romano proconsule confirmatum, cum parte altera habeamus catalogum eorum, qui ex donantis voluntate participes sint unius vel duarum sacrificiorum partium.

saeculi titulo, Foucarti quidem sententia. Qua autem in re haec duo genera, quae ambo Eumolpidarum genti officia praestant, inter se differunt? Hic Foucart assumit unum illum interpretem ex Eumolpidarum gente fortasse a populo esse electum, ut publico munere fungeretur; tres vero alios ipsius gentis esse interpretes et a gente quoque sola esse destinatos.

Sed propter solam hanc differentiam formae, quae inest in horum interpretum nominibus, etiam muneris ipsius differentiam statuere audacissimum est, praesertim cum illi tituli, qui diversas has formas exhibent, magno secernantur temporis spatio. Cum II 1 titulum quarti a. Chr. saeculi esse viderimus, alios qui vulgarem nominis formam praebent titulos Romanae demum aetati attribuendos esse constat, ut perfacile haec minima formae differentia intellegi possit.

Huc accedit, quod aliam habemus viam, qua duo illa catalogi genera explicare possimus. Nam praeter illa aliud reperimus Eleusiniorum interpretum nomen. In titulo III 1 (supra p. 10) secundi p. Chr. saeculi *ἐξηγητὴς μυστηρίων* nominatur Claudius Demostratus, qui e Cerycum gente est. Dittenberger[1] hunc mysteriorum interpretem in loco priorum *ἐξ Εὐμολπιδῶν* interpretum positum esse putat, atque hoc munus, quod antea soli Eumolpidarum genti patebat, imperatorum temporibus etiam Cerycum genti permissum esse. Quam ob rem etiam nomen ipsum mutatum esse. Quamvis probabilis videatur haec sententia, eam refutandam esse censeo. Nam etsi eadem aetate illi ex Eumolpidis interpretes nobis non traduntur, tamen cum alii *ἐξ Εὐπατριδῶν* sint reperti, nomen *ἐξ Εὐμολπιδῶν* quoque idem servatum esse crediderim. Atque suo iure Toepffer Gu. Dittenbergero hoc oblocutus est ex nomine ipso elucere hunc magistratum in mysteriis solum versatum esse atque *λεγόμενα καὶ ἀγόμενα* quae dicuntur in mysteriis celebrandis interpretatum esse, atque cum de illis *ἐξ Εὐμολπιδῶν* interpretibus hoc nusquam traderetur, hunc mysteriorum interpretem ab illis diversum esse debere[2]. Contra quem rursus A. Mommsen[3], iniuria ut mihi videtur, contendit novum nomen ido-

[1] Herm. XX (1885) 12 sq. [2] *Att. Gen.* p. 72.
[3] *Feste der Stadt Athen* p. 268 adn. 4.

neum non fuisse, quo cognosceretur, quid novum munus a vetere separaret.

Mihi cum J. Toepffer hi mysteriorum interpretes ab exegetis ἐξ *Εὐμολπιδῶν* prorsus secernendi videntur. Atque si illius catalogi distinctionem recordamur, nihil impedit, quin *ἐξηγητὴν μυστηρίων* eundem esse putemus, qui primo ibi loco appellatur. Nam praeter hoc omnia de Eumolpidarum interpretibus testimonia, quae accuratius quidem nomen exhibent, non vetant *τρεῖς ἐξηγητάς*, qui in catalogo commemorantur, ad illos referri. Praesertim titulus anni 329/28, qui pluralem numerum habet, optime ad catalogum quadrat. Sed etiam alia huius rei testimonia, quae singularem numerum exhibent, huic explicationi non obstant. Nam etiamsi articulus ibi ita positus est, ut unum omnino esse putes, tamen hac re confidere non debemus, cum titulorum sermonem hac in re non constantem esse supra iam dictum sit[1].

Ἐξηγητὴς autem, qui in catalogo primo loco solus nominatur, mea quidem sententia non melius intellegi potest quam si eum cum *μυστηρίων* interprete, qui et ipse singularis exstat, coniungimus. Hac re hoc quoque explicatur, quomodo fieri possit, ut Ceryces hoc munere fungantur, cum Eumolpidarum interpretum munus soli huic genti permissum esse certum habeamus Andocidis testimonium[2]. *Μυστηρίων* autem interpretis munus Cerycibus solis patuisse verisimile est. Quam ob rem et alter Cerycum interpres quem novimus, Herodes Atticus (tit. III 2 supra p. 11) eodem munere functus esse videtur. Atque haud scio an imperatorum temporibus hoc munus novum institutum sit, ut Ceryces soli eo fungerentur[3].

Sed si quaerimus, quibus in rebus haec duo Eleusinii cultus interpretum genera inter se differant, certi quidquam responderi non potest. Eupatridarum duo interpretum genera electionis quidem ratione inter se differe-

[1] v. supra p. 22 adn. 3. [2] Andoc. I 116.

[3] A. Koerte mecum communicat sibi persuasum esse totum hoc munus Herodis Attici gratia, viri honorum cupidissimi, esse institutum, cum Eumolpidarum interpres fieri non posset.

bant. Sed de his Eleusinii cultus interpretibus ne hoc quidem statui potest, cum his de rebus nihil audiamus, neque qua ratione Eumolpidarum interpretes creentur neque qua via mysteriorum interpres instituatur. Item de mysteriorum quidem interpretis officiis certi nihil dici potest, nisi ea suspicamur. Hac autem in re mihi verisimillimum videtur, quod J. Toepffer iam ex eius nomine conclusit[1], interpretem hunc in mysteriis solis versatum esse atque *λεγόμενα καὶ ἀγόμενα* quae dicuntur in mysteriis celebrandis interpretatum esse.

Certior res est de propriis Eumolpidarum interpretibus atque officiis eorum, de quibus nunc pauca dicenda sunt. Habemus Timaei testimonium, qui cum de *πυθοχρήστοις* plura faciat verba, de duobus aliis interpretibus incerte dicit: *οἱ ἐξηγούμενοι τὰ πάτρια*. Cuius testimonium aliis confirmatur. *Πάτρια* enim Eumolpidarum exstitisse Cicero nobis testatur, qui in epistula ad Att. missa (I 9) haec scribit: „Thyillus te rogat et ego eius rogatu: *Εὐμολπιδῶν πάτρια*." Ab Attico, qui Athenis tum versabatur, haec petit. Inde concludendum est haec *πάτρια* tum celeberrima fuisse et fortasse ad leges sacras cognoscendas optimum fuisse fontem. Praeterea hoc ex Ciceronis testimonio elucet haec *πάτρια* tum libro conscripta fuisse. Quod nondum prioribus temporibus fuisse testatur [Lysias] *κατ' Ἀνδοκίδου*[2] 10: *Περικλέα ποτέ φασι παραινέσαι ὑμῖν περὶ τῶν ἀσεβούντων, μὴ μόνον χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις νόμοις περὶ αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀγράφοις, καθ' οὓς Εὐμολπίδαι ἐξηγοῦνται, οὓς οὐδείς πω κύριος ἐγένετο καθελεῖν οὐδὲ ἐτόλμησεν ἀντειπεῖν, οὐδὲ αὐτὸν τὸν θέντα ἴσασιν*. Quibus e verbis simul videmus, quanta illae leges auctoritate fuerint, etiamsi propter oratorium sermonem aliquid de laude detrahendum esse non negem.

Quas leges neminem nisi Eumolpidas interpretatos esse vel hoc ex loco cognoscitur. Certissimum autem huius

[1] *Att. Gen.* p. 72.

[2] De orationis tempore quam a Lysia habitam non esse viri docti inter se consentiunt, Fr. Blass *Att. Beredsamk.* I[1] p. 575 haec dicit: *Der Stil der Rede zeigt entschieden das Zeitalter des Lysias; das Sachliche widerspricht demselben nicht.*

rei testimonium habemus apud Andocidem *περὶ μυστηρίων* (I) 116: *Ὁ Καλλίας στὰς ἔλεγεν ὅτι εἴη νόμος πάτριος, εἴ τις ἱκετηρίαν θείη ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ ἄκριτον ἀποθανεῖν, καὶ ὁ πατήρ ποτ' αὐτοῦ Ἱππόνικος ἐξηγήσαιτο ταῦτα Ἀθηναίοις. Ἐντεῦθεν ἀναπηδᾷ Κέφαλος οὗτος καὶ λέγει· ὦ Καλλία, πάντων ἀνθρώπων ἀνοσιώτατε, πρῶτον μὲν ἐξηγῇ Κηρύκων ὤν*[1]*, οὐχ ὅσιον ⟨ὄν⟩ σοι ἐξηγεῖσθαι· ἔπειτα δὲ νόμον πάτριον λέγεις, ᾗ δὲ στήλη, παρ' ᾗ ἕστηκας χιλίας δραχμὰς κελεύει ὀφείλειν ἐάν τις ἱκετηρίαν θῇ ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ.*

Quid autem in patriis his legibus, quae exegetis interpretandae sunt, continetur? Summatim dicere possumus nihil, quod non ad mysteria et Eleusiniarum dearum cultum pertinuerit, ibi inveniri. Neque hoc mirum, cum Eumolpidae una cum Cerycibus eae sint gentes, quarum erat mysteria celebranda curare, e quibus etiam omnes huius cultus magistratus eligebantur. Atque habemus talem patriam legem, qua hoc confirmatur. Est e Melanthii de mysteriis libro fragmentum, quod agit de veste, quae, si quis in mysteria initiatur, deabus consecranda est[2]: *Πάτριον γάρ ἐστι ταῖς θεαῖς ἀνιεροῦν καὶ τὰς στολὰς τοὺς μύστας, ἐν αἷς τύχοιεν μυηθέντας.*

Itaque interpretum quoque provincia erat, ius sacrum, quod quidem in mysteriis celebrandis observandum erat, occasione data interpretari. Hoc interpretum munus fuisse testimonia quoque nostra testantur. Ita in illo honorum decreto (tit. II 3 p. 7) Medeus laudatur *εὐσεβείας ἕνεκα τῆς πρὸς τὸ θεῖον καὶ ἐπιμελείας καὶ φιλοτιμίας τῆς περὶ τὴν ἐξήγησιν τῶν ἱερῶν καὶ πατρίων*, ubi et Eleusiniarum dearum cultus et interpretatio legum patriarum distincte commemorantur.

Unum quoque ex eorum privilegiis comperimus e rationibus curatorum et quaestorum fani Eleusinii anni 329/28

[1] Verba: *Κηρύκων ὤν, οὐχ ὅσιον* . . iam Reiske recte restituit atque Dittenberger (Herm. XX (1885) 12) ei assensus est. Antea legebatur: *ἐξηγῇ Κηρύκων, ὧν οὐχ ὅσιον* . ., sed *ἐξηγεῖσθαι*, a quo verbo genetivus *Κηρύκων* dependeat, insolitam esse constructionem Dittenberger l. s. demonstravit.

[2] Mueller FHG IV p. 444 fr. 3 = schol. Aristoph. Plut. 845. V. etiam Aristoph. ipsum Plut. 844 sq. Quibus vestimentis asservandis peculiare aedificium destinatum fuisse, quod *ἱματιοθήκη* dicitur, e titulo discimus, quem edidit Dittenberger SIG[2] 587, v. adnot. 155.

(tit. II 1 supra p. 7), in mysteriorum solemnibus plaustra illis conducenda fuisse.

Quod attinet ad singula eorum officia, primum afferendum est e titulo II 6 (supra p. 9) ius sacrum illis interpretandum fuisse in sacrificio, quod πελανός[1] dicitur, offerendo. Nam etiamsi in illo titulo omnes Eumolpidas ius ἐξηγήσεως habuisse dicitur[2], tamen praecipue magistratuum, qui ad hoc instituti erant, hoc fuisse officium apparet.

Aliae eorum interpretationis causae hae sunt: in Andocidis περὶ μυστηρίων oratione (I 116), quem locum supra p. 50 exscripsimus, res est de ramo a supplici quodam in Eleusinio deposito, quem Andocidem ipsum deposuisse adversarii contendunt. Atque Callias νόμον πάτριον affert, secundum quem ex patris eius interpretatione morte sit puniendus, qui ramum deposuerit. Cui acriter Cephalus quidam obloquitur demonstrans primum Cerycas non ius habere interpretandi, tum legem esse in columna scriptam[3], quae minorem poenam statuat. Quo e loco primum cognoscimus omnes, qui e gente Eumolpidarum erant, ius interpretandi habuisse. Sed etiamsi orator de propriis Eumolpidarum interpretibus nihil dicit, tamen quid et illi interpretati sint ex his verbis elucet. Praeterea inde apparet leges illas tum scriptas iam fuisse.

Aliam Eumolpidarum legem verba personati Lysiae supra p. 49 laudata nobis testantur. Ibi enim dicitur Periclem olim suasisse, ne de impietatis crimine scriptis solum legibus uterentur, sed etiam ἀγράφοις, καθ' οὓς Εὐμολπίδαι ἐξηγοῦνται (κατ' Ἀνδοκίδου 10). His e verbis elucere videtur Eumolpidarum gentem etiam iudicum munere functum esse, et re vera alia habemus testimonia, quibus hoc confirmari viri docti putaverunt. Demosthenes κατ' Ἀνδροτίωνος (or. XXII) 27 dicit: *Τῆς ἀσεβείας κατὰ ταὐτά ἐστιν ἀπάγειν, γράφεσθαι, δικάζεσθαι πρὸς Εὐμολπίδας, φράζειν πρὸς τὸν βασιλέα.* Quibus

[1] V. quae de πελανός placenta disputaverunt Stengel, Herm. XXIX (1894) 281 sqq. et L. Ziehen, Leges Gr. sacrae p. 25.

[2] Quod Dittenberger defendit SIG[2] 20 ad hunc locum.

[3] H. Sauppe arbitratus est hac columnae lege significari plebiscitum illud, quod hodie habemus, quo mysteriorum Eleusiniorum ordo constituitur (Dittenberger SIG[2] 646 et Ziehen, Leges Gr. sacrae 3).

e verbis nonnulli concluserunt Eumolpidarum gentem una cum rege in criminibus *ἀσεβείας* praesedisse. Contra illos Lipsius (Meier-Schoemann-Lipsius *Att. Prozess*[2] Berol. 1883—87, p. 132) et eum secutus J. Toepffer (*Att. Gen.* p. 67) contenderunt Eumolpidas non praesidium habuisse, sed solum iudices ex illis sumptos esse, qui rege praesidente causas agerent, scholium ad illum Demosthenis locum afferentes, quo hoc confirmaretur: *Ὁ γὰρ βασιλεὺς ἐπεμελεῖτο τῶν ἱερῶν πραγμάτων καὶ εἰσῆγε τὰς τῆς ἀσεβείας γραφὰς πρὸς τοὺς Εὐμολπίδας.* Sed Foucart (*Les grands mystères d'Eleusis* p. 12) hoc quoque refutavit, contra certa Aristotelis in Athen. rep. 57, 2[1] et Hyperidis pro Euxen. 21 testimonia, quae soli regi crimina *ἀσεβείας* tractanda attribuunt, scholium illud nullius momenti esse ratus, praesertim cum nulla causa nota sit, quae Eumolpidis agenda fuerit. Itaque Demosthenis verba aliter explicavit demonstrans *δικάζεσθαι* verbum non significare: publice accusare, sed solum: causam privatam in iudicium vocare; qua in re Eumolpidas liberum habuisse arbitrium[2]. Cui Lipsius (*Das att. Recht u. Rechtsverfahren* I (Lips. 1905) p. 62 adn. 34) assensus est priore relicta sententia. Sed utut res se habet, *περὶ ἀσεβείας* quoque leges Eumolpidarum patrias fuisse certum est; itaque consentaneum est eorum interpretibus illas quoque interpretandas fuisse, si quid huius rei Eumolpidarum arbitrio diiudicandum erat.

Denique ex Taciti hist. IV 83 et Plutarcho de Iside 28 singulare aliquid de Eumolpidarum interprete comperimus. Nam interpretem hunc intellegendum esse certum est, cum Tacitus Timotheum illum dicat „Atheniensem e gente Eumolpidarum, quem ut antistitem caerimoniarum Eleusine exciverat“ Ptolemaeus Soter, atque cum Plutarchus revera *ἐξηγητὴν* eum appellet. Ptolemaeus consulit illum, ut nocturnos visus, quos Aegyptiorum sacerdotes explicare non potuerint, sibi interpretetur. Singularis haec est res publicum interpretem talia interpretari somnia, quod officium est eorum, qui

[1] *Γραφαὶ δὲ λαγχάνονται πρὸς αὐτὸν (βασιλέα) ἀσεβείας.*

[2] V. scholium aliud ad eundem Demosth. locum: *Ἱερὸν δὲ γένος Εὐμολπίδαι, ἱερᾶται δὲ ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ ἐπὶ τοῦτον πολλάκις ἐδικάζοντο ἀσεβείας οἱ βουλόμενοι.*

μάντεις vel χρησμολόγοι appellantur. Quam ob rem equidem crediderim hoc testimonium non probare, omnium horum interpretum officium fuisse nocturnos visus interpretari, sed singularem hanc rem esse. Nam Ptolemaeus postquam frustra suos interrogavit sacerdotes, celeberrimum quem tum noverat interpretem quique tum temporis Eleusinii fani condendi causa in Aegypto versabatur, Timotheum consulit, non quo ille talia interpretari solitus sit, sed quia regi prudentissimus videbatur vates. Et ob id ipsum Tacitus nomen eius non omittit commemorare atque perspicue dicit: ut antistitem caerimoniarum, ne quis haruspicem eum esse putet.

Hoc igitur de Eumolpidarum interpretibus in universum statuendum est nullum exstare testimonium, quod non in patriis legibus interpretandis summum eorum officium fuisse dicat. Gentis leges interpretantur et gentis sacra colunt, cumque ea publica sint auctoritate, etiam ministri eorum publico munere funguntur.

In capitis fine aliud afferre liceat testimonium, quod et ipsum patriarum legum interpretationem summum horum interpretum officium fuisse nobis demonstrat. Atque etiamsi de alius civitatis interpretibus agit, de Atheniensium quoque interpretibus aliquid fructus edere mihi videtur. Est titulus Coi in insula in Asclepi fano inventus, quem nuper R. Herzog edidit[1]. Tituli scriptura prius tertii a. Chr. saeculi dimidium indicat. In tituli praescripto cum editoris supplementis hoc legitur:

Ἐξαγηταὶ εἶπαν Πασίας Θεσσαλοῦ Ἱπ[π . . . τοῦ δεῖνος ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος ὁ δεῖνα]
Θευδώρου· ὅπως ταί τε ἀγνεῖαι καὶ τοὶ κα[θαρμοὶ τᾶι Δάματρι κατὰ τοὺς ἐ-]
ρούς καὶ πατρίους νόμους συντελῶντα[ι ἀγαθᾶι τύχαι· δε-δόχθαι τᾶι]
ἐκκλησίαι ἑλέσθαι ἐπιστάτας ἐκ πάντων δύ[ο· τοὶ δὲ αἱρε-θέντες ἐγδόντω]
στάλας ἐργάξασθαι δύο καὶ παραλαβόντ[ες παρὰ τῶν νομο-φυλάκων ἅπαντα]
τὰ γεγραμμένα ἐν τοῖς ἱεροῖς νόμοις περὶ τ[ᾶν τᾶς Δάματρος ἀγνειᾶν καὶ τῶν]

[1] *Archiv für Religionswissenschaft* 1907 p. 401 sqq.

καθαρμῶν ἀναγραψάντω ἐς ἑκατέραν [στάλαν κατὰ ταὐτὰ καὶ ἀναθέντω τὰμ]
μὲν ἐς τὸ ἱερὸν τᾶς Δάματρος ἐς τὸν ἐντὸς [τοῦ ναοῦ τοῖχον, τὰν δὲ ἐν τῶι ἰε-]
ρῶι τοῦ Ἀσκλαπι⟨ει⟩οῦ· τὸ δὲ γενόμενον ἀνά[λωμα τελεσάντω τοὶ ταμίαι· αἰ δέ τι-]
νές κα παρὰ τὰ γεγραμμένα ἐξαγῶνται πε[ρὶ τούτων ἢ μὴ συντελῶντι ταῦτα]
ὥς γέγραπται, ἐνθύμιον αὐτοῖς ὡς ἀσε[βήσασι ἐς τὰν θεὰν ἔστω· ἀναγραψάν-]
τω δὲ κατὰ ταὐτὰ τοὶ ἄνδρες τὰ γεγραμμέν[α ἐν τοῖς ἱεροῖς νόμοις ἐς λευκώμα-]
τα καὶ ἀναθέντω ἔς τε τὸ ἱερὸν τᾶς Ἀρτάμ[ιδος τᾶς Τοξίτιδος καὶ ἐς τὸ τᾶς]
Λοχίας καὶ ἐς τὸ Ἀφροδίσιον. παραδόντω δὲ [καὶ ἀντίγραφα τούτων ἀναγράψαι]
ἐς Ἰσθμὸν καὶ Ἁλάσαρναν· κατὰ ταὐτὰ δὲ κ[αὶ παραδόντω ἀντίγραφον ἐς πόλιν]
εἶ τοὶ ἰατροὶ τάσσονται. Ἔδοξε τᾶι βουλ[ᾶι καὶ τᾶι ἐκκλησίαι· γνώμα προστα-]
τᾶν· χρῆσθαι τᾶι τῶν ἐξαγητᾶν ἐφό[δωι.

Decernitur hoc titulo τὰς ἁγνείας καὶ τοὺς καθαρμοὺς κατὰ τοὺς ἱεροὺς καὶ πατρίους νόμους denuo esse constituenda et insculpenda, et ἐξαγηταί sunt ii, qui hoc rogant. In Cereris cultu hi officia praestant. Quam ob rem audacius non erit interpretes hos cum Atticis Eumolpidarum interpretibus componere. Atque hoc cum illorum officiis optime convenit, quod patriarum legum conservatores se praebent. Solum hoc mirum, quod patriae hae leges sunt de lustrationibus et expiationibus praecepta, quae ad Eupatridarum interpretes pertinere audivimus. Sed si accuratius leges illas introspexerimus, omnes praescribere cognoscemus, quae caerimoniae Cereris sacerdoti adhibendae sint in deae sacro lustrando. Hoc autem aliud est atque lustrationes et expiationes quorumlibet hominum et quarumlibet rerum, quae Eupatridarum interpretum provincia est.

De iuris sacri scriptoribus

Antiquos interpretes scientiam iuris sacri, quia gentis erat ius, inter se optime servavisse atque incolumem ad posteros tradidisse perspicuum est. Eam quoque ob rem *πάτρια* duarum Eupatridarum et Eumolpidarum gentium primo *ἄγραφα* fuisse, tum autem conscripta esse audivimus. Eodem autem modo cetera quoque iuris sacri praecepta paulatim litteris mandata fuisse consentaneum est. Atque re vera huius modi libros reperimus, ut *ἐξηγητικά* vel libros *περὶ θυσιῶν* sim. scriptos. Atque scriptores, qui hoc modo de iure sacro libris disputaverunt, ipsos interpretis munere functos esse vel per se verisimile est. Et cum nonnulli aperte nominentur *ἐξηγηταί*, dubium vix esse potest, quin omnes, qui hic afferendi sunt, in interpretum numero habere debeamus.

Simul autem iidem paene omnes scripserunt de Atheniensium rebus gestis, Ἀτθίδας quas dicimus. Qua re U. de Wilamowitz adductus est, ut utrumque scribendi genus ex uno fonte ortum esse statueret[1]. Ut apud Romanos pontifices primi annales scripserint, ita Athenis quoque historiam conscribendam ortam esse ex iuris sacri interpretatione. Contra quem Ad. Bauer[2] probavit Atthidum de Atheniensium rebus gestis narrationes tanto cum populi amore esse conscriptas, ut primis quidem temporibus gentium interpretes

[1] *Aristoteles u. Athen* I p. 280 sqq.

[2] *Forschungen zur griech. Geschichte* Monac. 1899 p. 180. Vide etiam, quae O. Seeck hac de re disputavit (*Klio* IV 292 sqq.).

illas coluisse vix credibile sit. Inde a quarto autem saeculo et interpretes in hac re maxime operam dedisse ille vir doctus et ipse non negat.

Plurimorum, quos nunc afferam, fragmenta nobis servata sunt. Sed inde multum cognoscere non possumus, cum differentia inter Atthidis et aliarum rerum libros haud sit magna. Atque reperimus in Atthidum fragmentis multa, quae ad iuris sacri interpretationem spectant, ita ut ex propriis exegeticis fragmenta servata sunt, quae ad res gestas pertinent. Et saepissime solae librorum inscriptiones nos docent, quae res in eis agantur. Sed horum scriptorum nomina afferre fortasse operae pretium est.

Primus eorum, quos novimus, Clidemus[1] videtur. Pausanias X 15, 5 (qui Clitodemum eum appellat, sed rectam formam Clidemum esse tituli docent, v. J. Kirchner l. s.) primum Atthidographorum eum dicit: *Κλειτόδημος δὲ ὁπόσοι τὰ Ἀθηναίων ἐπιχώρια ἔγραψαν ὁ ἀρχαιότατος.* Etiam apud Plut. de glor. Athen. 345E in numero scriptorum rerum Atticarum primum locum obtinet. Nos hoc examinare non possumus. Hoc solum Wilamowitzio aetatem indicare videtur, quod Clidemus symmorias centum commemorat (fr. 8), qua ex re eum initio quarti a. Chr. saeculi vixisse colligit. Clidemum praeter Atthidem *ἐξηγητικόν* quoque scripsisse testatur Athenaeus IX 410a, e quo libro de lustrationibus verba affert (v. supra p. 27). Alia huius libri fragmenta sunt de historia fabulari (fr. 19 et 21) et de sacrificiis quae ante arationem offeruntur (fr. 23).

Aequalem Clidemi Wilamowitz Melanthium[2] esse suo iure putat. Praeter Atthidem de mysteriis librum confecit; v. fr. 3, quo *πάτριον* explanatur[3]; fr. 2 citatur ab Apollodoro de sacrificiis Hecatae Eleusiniae offerendis. Quam ob rem eum *ἐξηγητὴν ἐξ Εὐμολπιδῶν* fuisse verisimile est.

Tum Wilamowitz Phanodemum[4] quoque interpretibus adnumerat, quem quarto saeculo attribuit. Hoc confirmatur titulis,

[1] De eo v. J. Kirchner, Pros. Att. 8494; Wilamowitz *Aristot. u. Athen* I p. 286; frgm. v. Mueller FHG I 363.

[2] Wilamowitz l. s.; Kirchner, Pros. Att. 9770; frgm. Mueller FHG IV 444.

[3] v. supra p. 50.

[4] Wilamowitz l. s.; Kirchner, Pros. Att. 14033; Mueller FHG I 366.

qui eius nomen exhibent, est enim orator decreti idemque laudatus decreto a. 343/2 (IG II 114) et orator decreti de fano Amphiarai Oropiorum a. 332/1 (IG VII 1, 4252). Phanodemus, qui Atthidem scripsit (Dion. Hal. ant. Rom. I 61: *ὁ τὴν Ἀττικὴν γράψας ἀρχαιολογίαν*), ab eo non diversus videtur [1]. In titulo Delphico eiusdem fere aetatis (*Bull. de Corr. Hell.* XX 676) *ἱεροποιὸς ὁ τὴν Πυθιάδα ἀγαγών* nominatur. Quamquam praeter Atthidem nullum novimus eius librum neque *ἐξηγητής* appellatur, tamen eum interpretem dicam, cum in Atthidis fragmentis res sacrae primum locum teneant.

Inter eos interpretes, qui de arte sua scripserunt, afferendus deinde est Habro [2], de quo Steph. Byz. s. v. *Βάτη* dicit: *Ἅβρων ὁ Καλλίου, ἐξηγητὴς περὶ ἑορτῶν καὶ θυσιῶν γεγραφώς.* Eum ex familia ea esse recordamur, cuius et alios Eupatridarum interpretes in titulis Delphicis saepius repperimus. Kirchner eum ca. a. 305 a. Chr. vixisse putat [3], cum eiusdem familiae interpretes in titulis commemoratos ca. a. 100 a. Chr. hoc munere functos esse constet. Habronis fragmenta non exstant.

Saeculo tertio attribuitur Anticlides [4] interpres. Eum *ἐξηγητικόν* scripsisse testatur idem Athenaeus XI 473, ubi affertur locus quo accurate praescribitur, quomodo Iovis Ctesii simulacrum consecrandum sit (v. supra p. 36).

Denique Demonem [5] novimus eiusdem tertii saeculi ineuntis, qui et ipse rerum Atticarum scriptor erat. Atque cum etiam *περὶ θυσιῶν* librum scripserit (fr. 22), verisimile est eum quoque interpretem fuisse.

Ultimus atque celeberrimus afferendus est Philochorus [6]. Apud Suidam *μάντις καὶ ἱεροσκόπος* vocatur, atque talem se praebet iam anno 306/5 [7], cum Demetrio Poliorceta regnante de cane in arcem ingressa et de meteoro ignito interrogatus fugitivorum reditum hac re significari interpretatus sit. Sed

---

[1] v. A. Wilhelm *Die penteterischen Feste der Athener*, *Anzeiger der philol.-hist. Klasse der Wien. Akad.* 1895, 20. Mart.

[2] Kirchner l. s. 10. [3] v. stemma apud J. Kirchner l. s. p. 2.

[4] Kirchner l. s. 1043; frgm. v. Mueller, script. rer. Alex. M. p. 150.

[5] Kirchner l. s. 3733; Mueller FHG I 378.

[6] Kirchner l. s. 14782; Mueller FHG I 384 sqq.

[7] Dion. Hal. Dinarch. 3, p. 637, 2 (I p. 302 ed. Usener-Radermacher).

etiam exegeta appellatur a Proclo in scholio ad Hesiod. opp. et dies v. 810 adscripto: *Ὡς Φιλόχορος λέγει καὶ † ἀμφότεροι ἐξηγηταὶ τῶν πατρίων ἄνδρες.* Loco corrupto quo alii legunt: *καὶ Ἀμφότερος*[1], Enthoven coniecit: *καὶ Ἀνδροτίων*, quod palaeographicis ex legibus optime quadrat, praesertim cum Androtionem Gargettium et ipsum Atthidem scripsisse constet[2]. Philochorum in iure sacro versatum esse confirmatur libris, quos hac de re scripsit. Ita ex Suida novimus *περὶ μυστηρίων τῶν Ἀθήνησι, περὶ καθαρμῶν*, quorum librorum fragmenta non exstant. Fragmenta habemus ex libris *περὶ ἑορτῶν, περὶ θυσιῶν, περὶ ἡμερῶν, περὶ μαντικῆς*, quorum argumenta arte cum interpretum munere cohaerere apparet.

[1] v. Chr. Petersen, Philol. suppl. I (1860) 164 et novissimus Reitzenstein *Nachrichten der Gött. Gesellsch. der Wiss.* 1906, I p. 42.

[2] Wilamowitz l. s. I p. 280 adn. 32.

De ceteris exegetis

In scriptis veterum aliis quoque locis *ἐξηγηταί* commemorantur, qui etiam Athenis exstitisse videntur. Qui autem accuratius locos illos inspexerit, cum nostris iuris sacri interpretibus eos coniungi non posse cognoscet. Sed illi loci et ipsi inter se pares non sunt atque diversa interpretum significant genera. Haec enim vox ut tot alia verba in temporum decursu significationem mutavit, sed ita, ut genuina iuris sacri interpretis significatio non prorsus perdita sit. Quam ob rem me facere non posse putavi, quin hos interpretes breviter enumerarem.

Exegetici scriptores ad aliud interpretum genus nos conducunt. Vel e raris eorum librorum fragmentis elucet eos etiam quaesivisse de ortu atque origine alicuius religionis et de reliquiis, quae in rebus sacris ex antiquissimis temporibus exstarent. Tales autem quaestiones praecipue exercent eos interpretes, ad quos nunc pervenimus. Qui maxime hac re a prioribus differunt, quod de arte sua non scribunt, sed solum ad peregrinos his de rebus verba faciunt, quam ob rem vulgo periegetae[1] appellantur. Itaque vox *ἐξηγητής* apud Pausa-

[1] Periegetas tales apud Graecos exstitisse qui peregrinis urbis alicuius monumenta antiquitatis ostenderent et interpretarentur saepius nobis testantur scriptores. Ut unum afferam pro multis, Plutarchus de Pyth. or. 2 haec dicit: *ἐπέραινον οἱ περιηγηταὶ τὰ συντεταγμένα, μηδὲν ἡμῶν φροντίσαντες δεηθέντων ἐπιτεμεῖν τὰς ῥήσεις καὶ τὰ πολλὰ τῶν ἐπιγραμμάτων*, quibus e verbis hoc quoque elucet periegetas illos nostris loquacitate simillimos fuisse. Periegetae in titulis Atticis reperiuntur: IG III 1335 et 721a.

niam saepissime invenitur. Uno e loco (I 41, 2) perspicue videmus, quo sensu Pausanias voce utatur: *Ἐντεῦθεν ὁ τῶν ἐπιχωρίων ἡμῖν ἐξηγητὴς ἤγειτο εἰς χωρίον Ῥοῦν ὡς ἔφασκεν ὀνομαζόμενον.* Sed mirum est eum nusquam *περιηγητής* voce uti, etiamsi dubitari non potest, quin paene omnibus ubi voce utitur locis periegetas significet [1].

Exegetae tales apud Pausaniam inveniuntur omnium fere civitatum et regionum [2]. Explicant ibi et tradunt locorum fabulas, interpretantur nominum originem (IV 33, 6), noverunt nomina locorum perdita (I 41, 2), monstrant dies festos (IX 33), interpretantur statuas (V 10, 7). Videmus igitur antiquitatis explicatores et interpretes eos fuisse, quam ob rem etiam *οἱ τὰ ἀρχαῖα μνημονεύοντες* a Pausania compluries commemorati (ut I 27, 4; VII 18, 2; IX 34, 6) ab his interpretibus non diversi fuisse videntur. Tales interpretes etiam Athenis fuisse testatur Aristides (*ὑπὲρ τῶν τεττάρων* II p. 276 Dindorf) de Themistocle: *καὶ μείζω γε τὸν περίβολον, ὥς φασιν οἱ ἐξηγηταί, ἐξήγαγε πανταχῇ.*

Propriam vocis significationem Strabonis locus quidam nobis demonstrat; in capite quo de Aegypto verba facit, haec dicit (17, 1 p. 806): *Ἐξηγηταὶ τοῖς ξένοις τῶν περὶ τὰ ἱερά.* Sunt homines, qui quae ad templa pertineant memorabilia peregrinis commonstrent. Itaque in rebus sacris explicandis maxime interrogantur. Quam propriam eorum provinciam esse vel e Pausaniae locis supra laudatis concludi potuit, ubi fabulas deorum et heroum explicabant, dies sacros monstrabant, alia quae cum cultu deorum arte cohaerent.

---

[1] Hac de re Kalkmann (*Pausanias* Berol. 1886 p. 48) haec opinatur: *Während der spätere Sprachgebrauch zwischen ἐξηγητής und περιηγητής schwankt, gibt doch Pausanias der Perieget stets dem Worte ἐξηγητής den Vorzug, dessen dunkle Reminiscenz an die Wundermänner, die τεράτων καὶ ἐνυπνίων ἐξηγηταί* (V 23, 6) *für ihn einen geheimnisvollen Zauber hat.* Cui oblocutus est Gurlitt (*Pausanias* Graz 1890 p. 91), qui hunc vocis usum pertinaciam quandam Pausaniae esse dicit, qui et alibi contra vulgarem dicendi rationem verba suo more sibi eligat (ut *ἐπιλέγεσθαι* semper pro *ἀναγιγνώσκειν* verbo utitur); quae sententia mihi quoque verisimilior videtur.

[2] Singula v. apud S. Reinach apud Daremberg-Saglio *Dictionnaire des antiquités gr. et rom.*, s. v. *Exégètes.*

Maxime huc spectat Paus. I 31, 5, ubi Pausanias ipse Athenis exegetas frustra consuluit de Dianae Amarysiae sacris, quam Athmonenses in Attica colebant[1].

Videmus igitur interpretes hos, qui periegetis simillimi sunt, etsi in profanis quoque rebus versantur, tamen inter omnia de rebus sacris, de deorum cultu, de fabulis deorum, de sacris diebus peregrinos certiores facere, ut primo hanc propriam eorum fuisse provinciam consentaneum sit. Et profecto si qui peregrinus graecam urbem adierat, quid aliud ei prius visendum erat quam templa deorum, omnia quae ad sacra pertinebant? Tum demum hoc nomen omnino dictum esse de circumductoribus, qui quaslibet antiquitates commonstrarent, e re ipsa facile intellegi potest[2]. Certe autem hi exegetae reiciendi sunt a iuris sacri interpretibus, cum eos ius quoque sacrum interpretatos esse testimonium nullum habeamus. Quamquam quod quidem ad rem sacram pertinet, haud multum inter se differunt; atque nomen ipsum, quod utrisque par est, hoc probat. Sed hoc in animo tenendum est exegetae nomen pro periegetae nomine genuinum non videri, sed solum delatum esse a propriis iuris sacri interpretibus. Et re vera omnia quae supra attulimus testimonia Pausaniae aetatem non antecedunt, qua re depravatam esse hanc significationem optime fortasse demonstretur.

Sed maxime remota a genuino vocis sensu est illa significatio, quae hodie usitatissima est, ex qua *ἐξηγηταί* ii dicuntur, qui quamlibet rem explicant et interpretantur. Res sacra hic tota omissa est. Maxime hac voce veteres utuntur de eis, qui philosophorum opera commentariis in-

[1] Chr. Petersen l. s. p. 203 hos exegetas esse iuris sacri interpretes putat, sed certe iniuria; nam hi quoque ab aliarum civitatum exegetis h. e. periegetis, quos Pausanias commemorat, nihil differunt; diversissimi autem sunt a propriis iuris sacri interpretibus. Praeterea Varro Athenis tales rerum sacrarum interpretes fuisse testatur Men. 34 (ed. Buecheler[4]): „Et me Iuppiter Olympiae, Minerva Athenis suis mystagogis vindicassent". Nam de Eleusiniis magistratibus, qui proprie mystagogi vocantur, hic cogitari non posse e verbis ipsis elucet.

[2] Simili modo etiam mystagogorum nomen a sacrorum monstratoribus translatum fuisse ad periegetas vulgares videri verbumque *μυσταγωγεῖν* eodem modo dictum fuisse ut *ξεναγωγεῖν* Lobeck, Aglaoph. p. 31 demonstravit.

struxerunt; ut celeberrimum afferam, Alexander Aphrodisiensis, qui ad Aristotelem commentaria scripsit, proprie cognomen habuit exegetae. *Ἀττικοὶ ἐξηγηταί,* qui in commentariis Olympiodori (ad Phaedonem Plat. p. 83, 31 et 94, 12, Finckh; ad Aristot. categ., v. Comm. in Aristot. graec. XII 1 p. 120, 32) et Philoponi (ibid. XV p. 21, 28; 46, 18; 51, 15; 411, 1) occurrunt, et ipsi tales philosophorum interpretes sunt[1].

Sed etiam qui grammaticis ex legibus aliorum scripta interpretantur, *ἐξηγηταί* dicuntur, qua de re Galenus de diffic. respir. II 1 (Kuehn, Med. Gr. VII p. 825) haec dicit: *Ἔστι μὲν οὖν ἡ ἐξήγησις, ὥς πού τις τῶν παλαιῶν εἶπε, ἀσαφοῦς ἑρμηνείας ἐξάπλωσις.* Huius modi etiam *Ἀττικοὶ ἐξηγηταί* videntur, qui in scholiis ad Aristot. conscriptis et a A. Brandis collectis occurrunt (v. Arist. op. ed. J. Bekker IV p. 30, col. 2, lin. 3, 4); sed hoc testimonium falsum esse O. Immisch l. s. optime demonstravit. Incertior est vocis usus apud Suidam, qui Agapium medicum *ἐξηγητὴν* appellat (s. v. *Ἀγάπιος· ἰατρικῶν μαθημάτων ἐξηγητὴς γεγονώς*). Huc etiam fortasse spectat locus quidam apud Diod. Sic. 13, 35, ubi Cephalus et Polydorus, qui veteres Syracusanorum leges a Diocle datas interpretati sunt *διὰ τὸ τοὺς νόμους γεγραμμένους ἀρχαίᾳ διαλέκτῳ δοκεῖν εἶναι δυσκατανοήτους, ἐξηγηταὶ τοῦ νομοθέτου* appellantur.

Quae vulgaris significatio voci usque ad nostrum diem remansit; sed ex huius usus testibus cognoscimus hanc significationem exeunte demum antiquitate inveniri atque alienam esse a genuino vocis sensu.

[1] V. O. Immisch, Philol. LXIII (1904) 31 sqq.

De extispicio capita tria

II. Band
4. Heft

scripsit et imaginibus illustravit

Georgius Blecher

accedit de Babyloniorum extispicio Caroli Bezold supplementum

1905 — 82 Seiten — ℳ 2.80

Der Verf. hat sich die Aufgabe gestellt, die Eingeweideschau der Griechen und Römer in ihrem geschichtlichen Zusammenhang zu erklären. Im *ersten* Kapitel werden die Zeugnisse der Alten über die Ausübung des Extispiciums zusammengestellt und die Meinung Deeckes, daß die etruskisch-römische Haruspicin auf die griechische zurückgehe, und daß beide im letzten Grunde aus dem Orient stammen, widerlegt. Das *zweite* Kapitel bringt die Ansichten der Antike über Wesen und Wert der Eingeweideschau. Die eigenen Anschauungen des Verf. entspringen den Untersuchungen des *dritten* Kapitels. Babylonische, griechische, römische Extispicin sind in ihrer Entstehung unabhängig voneinander, die Eingeweideschau ist ein Völkergedanke. Er beruht auf der Vorstellung, daß der Gott, durch das Gebet gerufen, in dem Eingeweide des Opfertiers seinen Sitz nimmt, und daß man aus der Beschaffenheit der Exta erkennen kann, ob er in freundlicher oder feindlicher Absicht kommt. Hier im dritten Kapitel sind auch die antiken Darstellungen der Leberschau gesammelt, die in Abbildungen beigegeben werden. „Einige Bemerkungen zur babylonischen Leberschau" von C. Bezold machen den Schluß: sie stellen die vorhandene Literatur zusammen und weisen einer künftigen zusammenfassenden Darstellung der babylonischen Leberschau den Weg.

Die Götter des Martianus Capella und der Bronzeleber von Piacenza

III. Band
1. Heft

von

1906. 96 S. — **Carl Thulin** — ℳ 2.80

Martianus Capella de nupt. Merc. et Philol. I § 41—61 gibt eine Liste von Göttern, die von Jupiter aus den sechzehn Regionen des Himmels zusammengebeten werden. Der Verf. tritt in Anknüpfung an ältere Literatur den Nachweis an, daß dieses Verzeichnis eine Vereinigung astrologischer Elemente mit einer alten Liste etruskischer Götter ist. Für den etruskischen Teil ist der Hauptzeuge eine in der Bibliothek von Piacenza befindliche Leber aus Bronze, mit Regioneneinteilung und eingeschriebenen etruskischen Götternamen: diese Inschriften und die Namen bei Martian erklären sich gegenseitig. Als Autor, der dem Martian die etruskisch-astrologische Weisheit vermittelt habe, wird Nigidius Figulus angesprochen.

De stellarum appellatione et religione Romana

III. Band
2. Heft

scripsit

1907. 164 S. — **Guilelmus Gundel** — ℳ 4.40

Der Verf. will die Vorstellungen der Römer von den Sternen schildern. Es werden zunächst die Stern-Namen behandelt, dann die literarischen und monumentalen Zeugnisse für den römischen Gestirnglauben. Ausgewählt sind solche Sterne, deren Kenntnis sich schon vor dem Eindringen des griechischen Einflusses nachweisen läßt, oder die, wenn auch erst durch die Griechen eingeführt, von Bedeutung für die römischen Anschauungen geworden sind. So werden besprochen in Kap. I die einzelnen Sterne Lucifer, Vesper, Canicula, Arcturus; in Kap. II. die Sternbilder Septentriones, Iugulae, Vergiliae, Suculae; in Kap. III die verwandten Himmelserscheinungen Stellae cadentes, Stellae crinitae, Via lactea.

Fortsetzung auf der 4. Umschlagseite

III. Band
3. Heft

Griechische und süditalienische Gebete, Beschwörungen und Rezepte des Mittelalters

herausgegeben und erklärt von

1907. 159 S. **Fritz Pradel** ℳ 4.—

Im Jahre 1895 hatte W. Kroll aus einer in Rom und einer in Venedig liegenden Handschrift mittelalterliche Texte abgeschrieben, die zur Vertreibung von Dämonen, zur Heilung von Mensch oder Vieh, und ähnlichen Dingen gut sein sollten. Der Sprache nach waren diese Exorzismen teils spätgriechisch, teils italienisch in griechischer Transkription. W. Kroll hat diese Texte an Fr. Pradel zur Bearbeitung überlassen: dieser legt sie hier in einer Ausgabe vor und erläutert sie in einem besonderen Kommentar. Die einzelnen Abschnitte der Erklärung sind betitelt: Von den Nöten, von den Nothelfern, Populärmedizinisches, Magische Gebräuche. Die Arbeit will an einem konkreten Beispiel zeigen, in welchen Anschauungskreisen derartige, stellenweise noch heute verwendete Formeln wurzeln.

IV. Band
1. Heft

Veteres philosophi quomodo iudicaverint de precibus

scripsit

1907. 78 S. **Henricus Schmidt** ℳ 2.—

Die Absicht des Verfassers wird durch den Titel gegeben: in doxographischer Weise werden die Aussprüche der Philosophen von Heraklit bis Simplicius zusammengestellt, die von dem Werte des Gebets und der rechten Art zu beten handeln. Auch wird versucht, die Geschichte dieser Ansichten aus der Entwicklung der antiken Philosophie zu verstehn. Am Schlusse werden in einem Supplementum anhangsweise diejenigen Stellen der philosophischen Literatur gesammelt, die von „lautem und leisem Beten" handeln; zugleich ist dies ein Nachtrag zu dem so überschriebenen Aufsatz von S. Sudhaus im ARW IX (1906).

IV. Band
2. Heft

Die Apologie des Apuleius von Madaura und die antike Zauberei

Beiträge zur Erläuterung der Schrift de magia

von

1908. 278 S. **Adam Abt** ℳ 7.50

Die Arbeit will eine Erklärung der auf Zauber bezüglichen Stellen der Schrift des Apuleius de magia liefern. Die vor nunmehr 65 Jahren erschienene kommentierte Ausgabe Hildebrands kann heute nicht mehr als erschöpfend angesehen werden, da wir erst nach ihrem Erscheinen einen wirklichen Einblick in die antike Zauberpraxis gewonnen haben durch die Auffindung und Veröffentlichung der griechischen Zauberpapyri und der Fluchtafeln. Auch sind wir heute durch die Fortschritte der religionswissenschaftlichen und volkskundlichen Forschung instand gesetzt, dem primitiven Denken und seinen Äußerungen in Volksglaube und Zauber weiter nachzugehen, als dies in den vierziger Jahren des vergangenen Jahrhunderts möglich war. Diese Funde und Forschungsergebnisse galt es in weitem Maße heranzuziehen, um eine möglichst erschöpfende Erklärung der einschlägigen Apuleiusstellen bieten zu können. Da die Apologie manches bietet, das uns sonst in der Literatur nur spärlich bezeugt ist, so kann durch eine eingehende Auslegung der einzelnen Apuleiusstelle diese auch nutzbar gemacht werden für unsere Erkenntnis des Zauberglaubens überhaupt, und besonders im 2. Jahrh. n. Chr.

Demnächst erscheint:

VII. Band
1. Heft

Der Geburtstag im Altertum

von

1908. Etwa 140 S. **Wilhelm Schmidt** Etwa ℳ 2.80

Unter der Presse:

VII. Band
2. Heft

De Romanorum precationibus

scripsit **Georgius Appel**

CIRCULATE AS MONOGRAPH

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY